








MARTINI LVTHERI HISTORIA.

Cuius capita memorabilia sequente pagina nominatim recensentur.

Edita
A
Matthæo Dressero.



15 98.

LIPSIAE.
Impensis Iacobi Apelij Bibliop.


KAISERLICHE KOENIGLICHE
WIEN
HOFBIBLIOTHEK

CAPITA QVÆ IN HISTORIA MARTINI LVTHERI EXPONVNTVR.

MAGNI-

MAGNIFICO DOMINO OLGERO ROSENCRANZIO IN ROSENholm, laudibus ingenij, nobilitatis, virtutis, & præclaræ eruditionis in inclyto regno Daniæ in primis florenti, S. domino obseruando.

FAbula est, magnifice domine Rosencranzi, non ita dudum diuulgata, & ante paucos annos à recentibus Sacramentarijs interpolata, de colloquio Martini Lutheri cum Philippo Melanchthone, in quo errorem suum in doctrina de cœna sancta agnouerit Lutherus, cumq; à Melanchthone corrigi petierit. Hęc vt maiorem plausum apud cunctos mereretur, temporis & loci notis illustrata est. Fingunt

enim Lutherum ſupremo anno vitæ ſuę ſermonem illum habuiſſe, & quidem eo tempore, quo in patriam proficiſci voluerit, ac certa quadam animi notione mortem, quam illic obijt, pręſenſerit. Idq́; factum eſſe comminiſcuntur, in Collegio theologico, cui ſalutem dicerę, vel vt vulgò loquimur, valedicerę in animo habuerit. Solent equidem dies atq; noctes exedi eorum animi, qui labem aliquam conſcientiæ circumferunt: nec priùs conquieſcere poſſunt quàm erratum in ſinu amici poſuerint, correctionemq́; repererint. Quocirca vt ſcrupulum illum de cœna ſancta, quo dies noctesq́; ſtimulabatur Lutherus, ex mente ſua euelleret ſic ſponte ſua, non prouocatus ad Philippum dixiſſe fingitur: Mi Philippe, fateor me quaſi quodã æſtu ingenij abreptum, à vero in diſputatione de cœna Domini aberraſſe. Cui, age ergo, reſpondit Philippus, hoc vnum huic incommodo remedi-

remedium esse poterit, si publicato leui aliquo scripto sententiam nostram perspicuè explicemus. Quid faciam? inquit Lutherus, venit & mihi hoc ipsum in mentem sæpius: sed eo pacto nulla pars doctrinæ meę suspicione vacabit. Satius est rem totam Deo committere. Vestrum verò erit post mortẽ meam aliquid facere. Autor ad faciendam fidem narrationi adhibetur grauis & idoneus, Alesius, Lipsensis theologus, qui excudendam illam typographo Lipsico tradiderit, sed à D. Ioanne Pfeffingero prohibitus sit. Solent enim plærumque nugæ magnæ magnis autoritatibus ornari: quemadmodum Cicero de Epicuro scripsit.

Huic additur aliud commentum scilicet omni pondere grauius. Ingressus aliquando Lutherus bibliopolium VVitebergense, incidit in Caluini institutiones, & cognita ipsius de cœna Domini sententia, ingemuit grauiter: hoc si sciuissem

inquiens, accommodare me ad illud potuissem.

Sed quorsum spectant tam pulcra commenta? Huc videlicet, vt cùm verbi diuini testimonio nullo refutari possit Lutheri de Sacramēto cœnę sacræ doctrina, autoritate ipsius ficta & commentitia conuellatur. At nullum fictum stabile est, sed celeriter tanquam flosculus decidit. Redarguitur hoc mendacium rebus & factis contrarijs ante & post Lutheri obitum. Nec necesse est hæc vsque à capite arcessere. In eam enim opinionem apud omnes penè gentes Lutherus venit, vt mens illius nihil nisi grauitatem, os nihil nisi constantiam spirasse omni jure existimetur. Et quid quæso in vita & moribus eius inconstantiæ, mobilitatis, aut leuitatis vnquam deprehensum est? An non is fuit Lutherus, quem neque honoris aura, neq; periculi tempestas, neque potentissimorum in mundo comminationes

de proposito susceptoq; consilio dimouere potuerunt? Quis maiori animo fulmina Pontificis Rom. contemsit? res humanas despexit, & Satanę impetum omnem à se repulit? Mirū igitur nobis videtur non immeritò, id quod à nonnullis fingitur, hunc inuictum infractumq; virum, tandem turpiter de statu constantię discessisse, & id mutare, quod tam diu defenderat, voluisse.

Multa autem sunt, quę oportuit fabulæ autorem demonstrare prius, quàm tantum scelus, tamq; detestabile flagitium Luthero ascriberet. Primum enim si ex perpetuitate & constantia æstimandus est vir bonus: profectò nec de Luthero iudicium facere aliunde fas est, quàm ex ipsius verbis fide & spiritu plenis. Sic autem in confessione sua obtestatur omnes pios, vt testes sint suæ doctrinæ de cœna Domini, Deumq; precentur, vt constanter vsque ad finem vitæ suæ in fide ista perseueret.

Ac si forte, quod auertat Deus, contingat, vt vel vi morbi, vel tentationis magnitudine, vel mortis acerbitate aliud dicat: id ratū nullo modo habeatur, sed tanquam à Diabolo insusurratum explodatur atq; reijciatur. Hoc tanti ponderis testimonium Lutheri si nouisset fabulæ autor, minus laborasset in re tam futili, tam inani, tam putida. Quod si fortè excidissent Luthero verba ista in colloquio cum Philippo, quod tamen à vero tanto interuallo abest, quanto cœlum distat ab inferno: quid aliud indicarent, quàm non à Luthero sed à Satana esse prolata? Quantum igitur Satanæ tribuitur, tantum etiam huic commentitiæ fabulæ tribuendum esse manifestum est. Absit verò à nobis longissimè, vt vocem Satanę audiamus, vbi verbum Dei apertum perspicuumq; habemus. Odiosum est genus hominū prorsus, qui de Luthero multa garriunt, sed cum quęritur, an scri-

pta eius legerint, ne pagellam quidem se legisse fatentur. Quid? quod ne Melanchthoni quidem hęc fabella parcit. Si enim audiuit is talia loquentem Lutherum, testis esse vtique debuit. Id enim fides ipsius maximè postulauit, vt interrogatus de vltima voluntate aut sententia Lutheri, ingenuè, quid audisset, diceret, nec ad retinendum eius Catechismum, confessionem, & articulos Smalcaldicos amplius hortaretur: quod tamen factitasse eum satis constat. Quid? quod in hoc ipso libello, quem denuò publicamus, Melanchthon Lutherum post mortem vocat aurigam & currũ Israëlis. Quo quidem elogio quid aliud quàm testimonium doctoris pij, constantis, grauis, & inuicti Luthero impertit? Videant igitur hi conuiciatores maledici, ne dum Lutherum falso crimine insectantur, Melanchthoni ipsi crimen reticentiæ impiæ, & ecclesiæ toti perniciosæ inferant. Quòd

vſu venire quandoq; iis cõperimus, qui viros innocentes & bonos ſtare à mendacio contra verum volunt: vt magis eos deforment, quàm ornant.

Lutherus verò ipſe conſcientia abſque dubio conuictus atque compulſus Iſlebiæ, vel apud amicos, vel in concionibus, ſiue vultu, ſiue alia ſignificatione quacunq; ſententiam ſuam declaraſſet. Sed cum neq; geſtu neq; ſermone alium ſeſe præſtiterit, quam Lutherum, hoc eſt, conſtantem & grauem: quis adeò credulus eſt, vt fictæ fabulæ fidem adhibeat? Quin ſuum illud ad extremum vſq; tenuit Lutherus, vt quod de cœna ſacra docuiſſet & ſcripſiſſet, ab eo ne latum vnguem diſcederet. Extant conciones eius poſtremæ, quas VViteberge & Iſlebiæ habuit. Hæ teſtes eſſe locupletes poſſunt, cũ eadem mente eodemq; ſpiritu Sacramentarios ad extremum vſq; refutaſſe. In concione quidem VViteber-

tebergæ habita 12. Ianuarij, Anno XLVI. ex capite 12. epistolæ ad Roman voce plena, lacertisq; oratorijs inuchitur in nomen & dogma Sacramentariorũ blasphemo ore clamans: In Sacramento altaris, duntaxat panis & vinum est: item, putás ne Christũ propter verbum tuũ descendere in os & ventrem tuum? Plausibiliter id quidem dici fateberis (erudita enim est Satanę sponsa) Sed quid respondebis ad hoc? Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Abi ergò cum opinione ista tua in cloacã. Tace tu maledicta meretrix, vis magistra esse verbi, quod affirmat in cœna Domini esse verum corpus & verum sanguinem, Baptismum verò non esse simpliciter aquam, sed aquã Dei patris, Dei filij, & Dei spiritus sancti. Huic verbo subiectam & obedientem esse oportet rationem. In concione verò quarta Islebiæ habita, quasi cycnæa cantione inuectus est in Sacramentarios grauiter: Non

est discipulus in terris, inquit, miserior, & abiectior; quam Deus: Hunc enim oportet omnium esse discipulum. Nemo ferè est, qui non velit eius pædagogus, aut præceptor esse. Id quod exempla omnium hæreticorum, ab initio mundi, demonstrant. Arius, Pelagius, & hoc nostro tempore Anabaptistæ & Sacramentarij omnesq́; fanatici & factiosi, non acquiescunt in his, quæ Deus fecit, instituit, & ordinauit, sed putant se quoq; aliquid facere oportere, vt antecellere alijs sapientia videantur, adeoq́; gloriari de factis suis possint. Nimis simplex atq; exile, vel potius puerile atq; ineptum illis videtur, quicquid Deus facit & sancit. Itaq; se addere aliquid oportere censent. Quin ne in itinere quidē hanc suam cum Sacramentarijs dissensionem dissimulauit, sed apertè dixit: Nimis multos esse, qui verbum Dei oppugnent, hostiliter persequantur, & cōtumelia afficiant, quemadmodū Sacramen-

cramentarij in Heluetia & Anabaptistæ in Belgio. Extat quoq; epistola Lutheri ad Iacobum præpositũ Bremensem, anno 1546. mensis Ianuar. die 17. scripta, in qua hæc verba leguntur: Mihi satis est infelicissimo omniũ hominum vna ista beatitudo Ps. 1. Beatus vir qui non abijt in cõsilio Sacramentariorum, nec stetit in via Cinglianorum, nec sedet in cathedra Tigurinorum. Quid? quod iam moriturus Lutherus à Iusto Iona interrogatus, num vellet in agnitione Christi & confessione eius doctrinæ quam professus esset, mori: Respondit clara voce: Ita.

Num testimonio aut confirmatione grauiore ad demonstrandum Lutheri constantiam opus est? An non idem spiritus eademq́; vox eius ad vitæ vsq; finem permansit? Nimis igitur ieiuna est hæc maleuolorum cauillatio: cuius ipsos etiam Sacramentarios, in quibus aliquid animi est, absque dubio pudet. Inertiam

equidem atque inopiam criminum summam coarguit. Et quæ est insania, quantum scelus, id de mortuo Luthero confingere, cuius viri constantia neq; redargui, neq; in suspitione vlla poni potuit? An non architecti sunt mendaciorum nimis impudentes, & temerarij, quicunq; id comminiscuntur de Luthero mortuo, quod viuenti nunquam ne per somnum quidem in mentem venit? Et qui fulmen oculorum viuentis Lutheri ferre non possent, quemadmodum de Augusto imperatore quidam miles dixit, hi nunc ex sua leuitate labem inconstantiæ aspergere mortuo conantur. Quod vt fugiendum, ita religioni contrarium habendum esse sanctissima lex Solonis monet, quam Plutarchus in vita eius recitat. Nam & pium esse ait, vita defunctos sacros putare, & iustum abstinere maledictis in eos, qui non sunt.

Quàm vero turpe est, in tam frigida

gida et ridicula calũnia delitescere, Alia adferant ad probandum argumenta necesse est, qui in constantiæ volunt arguere Lutherũ. Non suscipit eius persona sceleris tanti crimen. Callidiores esse oportet Sacramentarios in accusatorio artificio. Et redarguet refelletq; adeò ipse Lutherus in extremo iudicio, totoque angelorum & electorum cœtu, hos temerarios accusatores. Contendant licet Sacramentarij omnes neruos, non tamen efficient, vt vel in suam sententiam traxisse videantur Lutherum, vel suspicionem mutati animi in eum commoueant. Quærant alia adminicula causæ suæ: nobis integrum nostrum Lutherum relinquant, in quem ne cadere quidem suspicio inconstantię vlla potest. Purus enim est, clarus, simplex, apertus, minimeque ambiguus, vnus & idem inuictus, atq; infractus. Habeant sibi Sacramentarij suum Caluinum, Cinglium, & alios, quorum

ductum sequantur. Noster Lutherus non est transfuga leuis, neq; cum Sacramentarijs vnquam collusit: sed dissentire se ab illis toto animo, grauiter constanterq; ore & scriptis professus atq; testatus est. Malo, inquit, in confessione breui de Sacramento cœnę, centies discerpi et comburi, quàm cum Stenkfeldio, Cinglio, Carlstadio, Occolampadio, et id genus alijs fanaticis seu turbatoribus detestandis idem sentire aut velle, vel doctrinam ipsorum probare. Quod si domesticis testibus etiam aliquid fortè tribuendum est, meminimus multos sine vlla dubitatione confirmare Lutherum supremo vitæ tempore de re nulla crebriores & acriores sermones habuisse, quam de Sacramentarijs: Vt satis appareat, ei nec animum aduersus Sacramentarios ab initio, nec fidem siue constantiam ad extremum defuisse. Quæ autem ab initio nondũ satis in doctrina reformanda confir-

matus

matus fortè ſcripſit, & procedente tempore ipſemet correxit, & illuſtrauit, nec ambiguum, flexiloquum, aut obſcurum in ſuis ſcriptis quicquam poſt ſe reliquit.

In conuentu VVormatienſi anno C. 1521. D. Peutingerus, & D. Badenſis rationibus & argumentis multis perſuadere conati ſunt Luthero, vt ſcripta ſua ſimpliciter Cæſaris & imperij iudicio permitteret. Quod tametſi apertê negauit Lutherus, niſi ex ſcriptura iudicium fieret; tamen Peutingerus & Badenſis archiepiſcopo Treuerenſi renunciarunt, Lutherum velle ſua omnia concilio permittere. Archiepiſcopus gaudente quidem animo illum ſermonem accepit: ſed vt plenior eſſet fides, prius ipſe Lutherum audiuit. Qui cum ad ſcripturam ſuo more prouocaret: benè eſt, inquit archiepiſcopus, quòd te ipſe audiui, antequam ad conſilium imperij aliquid retuli. Parum enim abfuit,

quin Cæſari indicaſſem, te animum mutaſſe, & ſcripta tua concilio ſubieciſſe. Sic eo etiam tempore conſictum de inconſtantia Lutheri crimen refrixit: & ἀκλινὴς, hoc eſt immobilis ſiue inuictus in ſua doctrina repertus eſt Lutherus: quemadmodum in Eccleſia Græca olim Baſilius Magnus, cui eandem laudem conſtantiæ tribuit hiſtoria eccleſiaſtica.

Hæc verò calumnia quid valeat, aut quò ſpectet, fortaſſe non omnes vident. Profectò diuinare non eſt difficile, quorſum pertineat. Quod enim in vna parte doctrinæ Lutheri tentant vituperatores eius, quàm facilè id in alijs quoq; aggredi poſſent? Si de cœna ſancta dubiam facere Lutheri ſententiam poſſent: an non eadem via etiam de Baptiſmo, de peccato, & conſimilibus articulis noſtræ fidei ambiguam reddere eiuſdem doctrinam velle videntur?

Quod

Quod hactenus non quidem tua, magnifice domine Rosencranzi, sed potius Sacramentariorum, quos sic cum Luthero nomino, caussa persecutus sum pluribus: non vt in certamen cum ipsis descenderem, aut pro dogmate vllo propugnarem, sed vt nefarium crimen leuitatis & inconstantiæ, quod tanquam venenatum telum à maleuolis in Lutherum iacitur, depellerem. Neque id tamen demonstraui ex Theologiæ fundamentis, vt theologus, sed ex historiæ firmamentis, vt veritatis testis. Ad te verò eam ob causam hanc de Luthero commemorationem mitto, atque adeò nomini tuo illustri inscribo, vt testimonium cōsensus nostri, vel potius totius Ecclesiæ Danicæ & Saxonicæ de Lutheri doctrina extet. Decus equidem est Ecclesiæ vestræ eximium, & omnium posterorum admiratione dignum, quod semel probatam atque receptam Lutheri, vel potius Augu-

ſtanæ confeſſionis natiuæ & incorruptæ, doctrinam integram inuiolatamq́; tanta conſtantia retinetis. Ad cuius quidem doctrinæ conſeruationem magnum adiumentum adfertis, dum non ipſi ſolum fundamenta veræ religionis rectè intelligitis, et tuemini, ſed liberos etiam veſtros ad percipienda eadem ſtudioſè diligenterq́ue aſſuefacitis. Vnde ſanè fit, vt cum quædam, vt ſolet, controuerſia de dogmatibus aut ritibus eccleſiaſticis oritur, non pendere ab aliorum iudicio cogamini, ſed iudicare ipſi ſecundũ diuini verbi normã poſſitis. Quo in genere tua magnificentia præter cæteros excellit, & palmam meretur. Fieri autem non poteſt, vt qui doctrinam eccleſiæ veram & incorruptam amat, à Luthero, cuius opera & induſtria diuina theſaurum tantum adepti ſumus, alienum animum habeat. Quò ſanè maiorem mihi in tua magnificentia ſpem pono, non modò non ingratam ſed etiam

iam iucundam ei hanc de Luthero commentationem fore, præſertim cum non tam à me, quàm à longè ſuperioribus, Melanchthone & Bugenhagio, qui fundamenta reformatæ Eccleſiæ in regno veſtro iecit, proficiſcatur. De quo tametſi nihil eſt, quod dubium facere animum meum poſſit: tamen vt meum ſtudium, quod in te habeo, in partem bonam accipias, maiorem in modum oro.

Deus æternus pater domini noſtri Ieſu Chriſti faxit, vt Eccleſiæ & regni paterni diu præſidio, ornamento atq; emolumento eſſe poſſis. Vale. Lipſiæ, cal. Sextil. Anno Chriſti XCVIII.



REVERENDISS. ATQVE ILLVstrissimo principi ac domino, domino Georgio, principi ab Anhalt, Ascaniæ Comiti, dominoq; Bernburgensi, In causis verò spiritualibus Administratori Marsburgensi, & Ecclesiæ Magdeburgensis Præposito,

Gratiam & pacem in Christo Deo & saluatore nostro.



AGNVS ERAT LVctus, ingentes querelæ, multæ lachrymæ in vniuersa Roma, cum Cicero pater patriæ pulsus, cogeretur exulare. Occupauit tamen iste luctus non quosuis, non seditiosos Catilinas, non furibundos Antonios, hisq; similes sceleratos & vlcera vrbis, sed pacificos & moderatos, & qui amabant æquitatem, & quibus grata erat Reipub. tranquillitas. Ita non dubito, etiam adhuc hodie Lutheri mortem tristem & acerbam esse, sem-

perq́ꝫ futuram, etsi non omnibus, tamen viris bonis, Imprimis autem illis, quibus religio cara est, & qui afficiuntur periculis Ecclesiæ Christi, quæ sub hoc Doctore satis florens, tuta ac munita fuit. Nunc verò quoniam sublatus est, quid intereà euenerit: magno cum luctu, multisq́ꝫ lacrimis huc vsq́ꝫ vidimus, ac quotidie videmus, nec dum scimus, quid adhuc sit sperandum de furoribus quorundam; quos Lutherus vi sua atq́ꝫ autoritate compressit. Ego certè aliquid magni metuo. Nam cum colligo euentus priorum temporum, comperio occasum tantorum virorum rarò non exitialem fuisse. Sed nobis consolatio certa ac firma proposita est, videlicet Oratio & promissiones Dei. Precabimur itaq́ꝫ Deum parentem nostrum, vt adhuc extrudat alios operarios in messem suam, qui pergant illustrare gloriam gratiæ suæ, & regni Iesu Christi, ad promouendam ac perficiendam salutem electorum suorum. Et rogabimus Patrem in nomine vnigeniti filij sui Iesu Christi domini nostri, vt Ecclesiam suam & hoc hospitiolum fidelium suorũ, quod apud nos verbo suo, per Lutherum ædificauit, regat, gubernet & conseruet, ad
glori-

gloriam nominis sui, Amen. Ipse recepit se futurum nobiscum, vsq; ad consummationem seculi, & dixit: Non relinquã vos orphanos. Hæc cùm vera sunt, & maximè consolatoria pijs mentibus. Interim tamen dolendum est, quoties videmus Ecclesiam eiusmodi Doctoribus orbari, quando experimur hæc organa & vasa gratiæ occumbere, hominesq; tantis donis præditos, è conspectu atq; consuetudine nostra eripi. Num etiam mortui laudabunt Dominum?

Ego igitur, vt me quoq; ob hæc incommoda angi ostenderem, aliquid carminis congessi, in laudem huius maximi nostri Theologi. Adieci quoq; vitam eius, sicuti eam repperi perscriptam à D. Philippo nostro, vnà cum Actis Vuormatiensibus, non sine certo ac graui consilio; quæ omnia, vt spero, Ecclesiæ non erunt ingrata. Ea nunc tibi amplisss. & illustriss. Princeps ascribo atq; dedico, & obsecro C. T. vt æqui boniq; faciat. Vt autem hoc libello C. T. compellerẽ, commouit me, primum, similitudo officiorum, quæ tu & Lutherus habuistis æqualia. Nam sustinet C. T. quoque, quemadmodum paulò ante Lutherus,

gubernationẽ Ecclesiæ, quæ functio profectò est valde difficilis, & plena laboris; ac periculosissima, his nostris confusis ac turbulentis temporibus, præsertim vbi improborum & audacium hominum est infinita licentia: Deinde commouit me & hoc, quod sciebam C. T. Luthero vnicè semper & amatam & veneratam fuisse, ideo visus sum ego mihi benè pieq́; & rem C. T. gratam facere, si amicissimi apud amicissimũ nunc quoq; á morte mentionem facerem. Rogo itaq; illustriss. Princeps C. T. vt hoc scriptum magnifacere velit, propter pia fata Lutheri, cuius negocium hic agitur, in cuius gratiam scio, C. T. hoc mihi denegare non posse. Bene vale illustriss. Princeps. & Deus opt. max. C. T. nobis in hoc ministerio diu seruet incolumem, Amen: Datum VVeisenfelsij, 20. Octob. Anno 1547.

Tuæ ampl. deditiß.

Ioannes Pollicarius Cygnæus, apud VVeisenfelsenses verbi Dei Minister.

Histo-

HISTORIA DE VITA ET ACTIS reuerendiss. viri D. Martini Lutheri sincerioris Theologiæ Doctoris, bona fide conscripta à

PHILIP. MELANTHONE.

SPEM NOBIS FECErat Reuerendus vir Martinus Lutherus, & curriculum se vitæ suæ, & certaminum occasiones narraturum esse, quod fecisset, nisi ex hac mortali vita, ad æternam Dei & Ecclesiæ cœlestis consuetudinem euocatus esset. Vtilis autem esset & priuatæ ipsius vitæ consideratio luculenter scripta, plena enim fuit exemplorum, quæ ad confirmandam pietatem in bonis mentibus profutura essent: & occasionum recitatio, quæ posteritatem de multis rebus commonefacere posset. Deinde & calumnias refutaret eorum, qui vel incitatũ à principibus viris, aut alijs, vt labefactaret Episcoporum dignitatem, vel priuata ipsum cupiditate inflammatum, seruitutis Monasticæ vincula rupisse fingunt.

Hæc prodesset ab ipso integrè & copiosè exposita

posita

posita et commemorata esse. Etsi enim maleuoli vulgare illud obiecturi erant, αὐτὸς αὐτὸν αὐλεῖ, tamē & in ipso tantū grauitatis fuisse scimus, vt optima fide Historiam recitaturus fuerit. Et multi boni & sapientes viri adhuc viuunt, quibus cum sciret seriem harum rerum notam esse, fuisse ridiculum, aliam historiam, vt fit interdum in poëmatis, comminisci. Sed quia editionem talis historiæ fatalis ipsius dies anteuertit, nos ijsdem de rebus ea quæ partim ex ipso audiuimus, partim ipsi vidimus bona fide recitaturi sumus.

VEtus familia est, & latè propagata mediocrium hominum, cognomine Luther, in ditione inclytorum Comitum Mansfeldensium. Parentes verò Martini Lutheri primum in oppido Ißleben, vbi Martinus Lutherus natus est, domicilium habuerunt. Deinde migrarunt in oppidum Manßfeld, vbi pater Iohannes Lutherus & Magistratus gessit, & propter integritatem omnibus bonis viris carißimus fuit.

In matre Margarita, coniuge Iohannis Lutheri, cùm cæteræ erant virtutes honestæ matronæ conuenientes, tum verò præcipuè lucebant pudicitia, timor Dei, & inuocatio, intuebanturq́; in eam cæteræ honestæ mulieres, vt in exemplar virtutum. Hæc mihi aliquoties interroganti de tempore, quo filius natus est, respondit, diem & horam se certò meminisse, sed de anno dubitare. Adfirmabat

bat autem natum esse die decimo Nouembris, nocte post horam vndecimam, ac nomen Martini attributum infanti, quod dies proximus, quo infans per Baptismum Ecclesiæ Dei insertus est, Martino dicatus fuisset. Sed frater eius Iacobus, vir honestus & integer, opinionem familiæ de ætate fratris hanc fuisse dicebat, natum esse Anno à natali Christi 1483.

Postquam ætas doctrinæ capax fuit, parentes filium Martinum ad agnitionem & timorem Dei & ad aliarum virtutum officia domestica institutione diligenter adsuefecerunt. & vt est consuetudo honestorum hominum, curauerunt vt literas disceret, gestauitq; in ludum literarium adhuc paruulum Georgij Aemilij pater, qui cum adhuc viuat testis huius narrationis esse potest.

Florebant autem eo tempore Scholæ Grammaticæ in Saxonicis vrbibus mediocriter, quare cũ Martinus ingressus esset annum quartum decimum, vna cum Iohanne Reineck, cuius postea virtus fuit excellens, & virtute parta autoritas in his regionibus magna, Magdeburgam missus est, fuitq; mutua beneuolentia inter hos duos, Lutherum & Reineckum semper eximia, seu ab aliquo naturæ cõsensu, seu ab alia studiorũ puerilium societate orta. Nec tamẽ diutius anno mãsit Lutherus Magdeburg.

Deinde in schola Isennacensi quadriennio audiuit Præceptorem rectius & dexterius tradentem

Grammaticen, quàm alibi tradebatur: Nam huius ingenium memini à Luthero laudari. In eam autem vrbem missus est, quod mater in ijs locis honesta & veteri familia nata fuerat. Hic absoluit Grammaticum studium. Cumq́ & vis ingenij acerrima esset, & imprimis ad eloquentiam idonea, celeriter æqualibus suis præcurrit, & verbis & copia sermonis in loquendo, & in scribenda soluta oratione, & in versibus cæteros adolescentes, qui vnà discebant, facile vicit.

Degustata igitur literarum dulcedine, natura flagrans cupiditate discendi, appetit Academiam, tanquam fontem omnium doctrinarum. Et omnes artes ordine percipere tanta vis ingenij potuisset, si Doctores idoneos inuenisset, & fortaßis ad leniendam vehementiā naturæ mitiora studia veræ Philosophiæ, & cura formandæ orationis profuissent. Sed incidit Erphordiæ in eius ætatis Dialecticen satis spinosam, quam cum sagacitate ingenij, præceptionum causas et fontes melius quàm cæteri perspiceret, citò arripuit.

Cumq́ mens auida doctrinæ, plura & meliora requireret, legit ipse pleraq́ veterum Latinorum scriptorum monumenta, Ciceronis, Virgilij, Liuij & aliorum: Hæc legebat, non vt pueri, verba tantum excerpentes, sed vt humanæ vitæ doctrinā, aut imagines. Quare & consilia horum scriptorum & sententias propius aspiciebat, & vt erat memoria

ria fideli & firma, pleraque ei lecta et audita, in cõ-spectu & ob oculos erant. Sic igitur in iuuentute eminebat, vt toti Academiæ Lutheri ingenium admirationi esset.

Ornatus igitur gradu Magisterij philosophici, cum natus esset annos viginti, ac consilio propinquorum, quia hanc tantam vim ingenij & facundiam iudicabant in lucem & ad Rempub. educendam esse, incoat iuris studium. Sed breui post cũ natus esset annum vnũ et vicesimum, subitò præter parentum & propinquorum opinionem, venit ad Collegium Monachorum Augustinianorum Erphordiæ, seq́; recipi petit. Receptus, iam non solum acerrimo studio doctrinam Ecclesiæ discit, sed etiam summa disciplinæ seueritate seipse regit, & omnibus exercitijs lectionum, disputationum, ieiuniorum, precum, omnes longè superat. Erat autem natura, quod sæpe miratus sum, in corpore nec paruo, nec imbecilli, valde modici cibi & potus, vidi continuis quatuor diebus, cum quidẽ rectè valeret, prorsus nihil edentem aut bibentem, vidi sæpe alias multis diebus quotidie exiguo pane & halece contentum esse.

Occasio autem ingrediendi illud vitæ genus, quod pietati & studijs doctrinæ de Deo existimauit esse conuenientius, hæc fuit, vt ipse narrabat, & vt multi norunt. Sæpe enim cogitantem attentius de ira Dei, aut de mirandis pœnarum exem-

plis subitò tanti terrores concutiebant, vt penè exanimaretur. At vidi ipse, cum in quadam doctrinæ disputatione propter intentionem consternatus, in vicino cubiculo se in lectum collocauit, vbi hanc sententiam crebrò repetitam miscuit inuocationi, conclusit omnes sub peccatum, vt omnium misereatur. Hos terrores seu primum, seu acerrimos sensit eo anno, cum sodalem, nescio quo casu interfectum amisisset.

Non igitur paupertas sed studium pietatis eum in illud vitæ monasticæ genus induxit, in quo, etsi doctrinam in scholis vsitatam quotidie discebat, & Sententiarios legebat, & in disputationibus publicis labyrinthos alijs inextricabiles, disertè, multis admirantibus explicabat: tamen quia in eo vitæ genere non famam ingenij, sed alimenta pietatis quærebat, hæc studia tanquam parerga tractabat, & facilè arripiebat illas scholasticas methodos. Interea fontes doctrinæ cœlestis auidè legebat ipse, scilicet scripta prophetica & Apostolica, vt mentem suam de Dei voluntate erudiret, & firmis testimonijs aleret timorem & fidem. Hoc studium vt magis expeteret, illis suis doloribus & pauoribus mouebatur.

Et senis cuiusdam sermonibus in Augustiniano collegio Erphordiæ sæpe se confirmatū esse narrabat: cui cum consternationes suas exponeret, audiuit eum de fide multa disserentem, seq́ deductum

aiebat

aiebat ad symbolum, in quo dicitur: Credo remissionem peccatorum. Hunc articulum sic ille interpretatus erat, non solum in genere credendum esse aliquibus remitti, vt & dæmones credunt, Dauidi aut Petro remitti, Sed mandatum Dei esse, vt singuli homines remitti nobis peccata credamus. Et hanc interpretationem confirmatam dicebat Bernardi dicto, monstrabatq́ locum in concione de Annunciatione, vbi hæc sunt verba: Sed adde vt credas & hoc, quod per ipsum peccata TIBI donantur. Hoc est testimonium quod perhibet Spiritus Sanctus in corde tuo, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, Gratis iustificari hominem per fidem.

Bernhardus.

Hac se voce non solum confirmatum esse Lutherus dicebat, sed commonefactum etiam de tota Pauli sententia, qui toties inculcat hoc dictum: Fide iustificamur. De quo cum multorum expositiones legisset, tunc et ex huius sermonibus & suæ mentis consolatione animaduertisse, interpretationum, quæ tunc in manibus erant, vanitatem. Paulatim legenti & conferenti dicta & exempla in Prophetis & Apostolis recitata, & in quotidiana inuocatione excitanti fidem, plus lucis accessit.

Tunc & Augustini libros legere cœpit, vbi & in Psalmorum enarratione, & in Libro de Spiritu & litera, multas perspicuas sententias reperit, quæ confirmabant hanc de fide doctrinam, & consolationem, quæ in ipsius pectore accensa erat.

Nec tamen prorsus reliquit Sententiarios. Gabrielem & Cameracensem penè ad verbum memoriter recitare poterat. Diu multumq; legit scripta Occam, huius acumen anteferebat Thomæ & Scoto. Diligenter & Gersonem legerat. Sed omnia Augustini monumenta & sæpe legerat, & optimè meminerat.

Hoc acerrimū studium incoauit Erphordiæ, in cuius vrbis Collegio Augustiniano commoratus est annos quatuor.

Eo autem tempore, quia reuerendus vir Staupicius, qui exordia Academiæ VVittebergensis adiuuerat, studium Theologicum in recenti Academia excitare cupiebat, cum ingenium & eruditionem Lutheri considerasset traducit eum VVitebergam Anno 1508. cum iam ageret annum vicesimum sextum Hic inter quotidiana exercitia Scholæ & concionum magis etiam lucere eius ingenium cœpit. Cumq; eum attentè audirent viri sapientes, Doctor Martinus Mellerstadius & alij, sæpe dixit Mellerstadius, tantam esse vim ingenij in hoc viro, vt plane præsagiret mutaturum esse vulgare doctrinæ genus, quod tunc in scholis vnicum tradebatur.

Hic primum Dialecticen & Physicen Aristotelis enarrauit. Interea tamen suum illud studium legendi scripta Theologica non omittens. Post triennium Romam profectus propter Monachorum

contro-

controuersias, cùm eodem anno reuersus esset, vsitato more scholarum, Duci Saxoniæ Electore Friderico præbente sumptus, ornatus est gradu Doctorum, vt vsitate loquimur. Audierat enim concionantem, & vim ingenij, & neruos orationis, ac rerum bonitatem expositarum in concionibus, admiratus fuerat. Et vt quadam quasi maturitate iudicij videas gradum ei Doctorum attributum esse, scias fuisse eum annum ætatis Lutheri tricesimum. Ipse narrabat sibi admodum defugienti et recusanti mandatum esse a Staupicio, vt hoc gradu ornari se sineret, cumq; per iocum dixisse, multum negociorum Deo iam in Ecclesia fore, ad quæ ipsius vsurus esset opera. Cui voci, etsi ioco tunc emissa est, tamē euentus respondit, vt multa præcedunt mutationes præsagia.

Postea enarrare Epistolam ad Romanos cœpit, deinde Psalmos. hæc scripta sic illustrauit, vt post longam & obscuram noctem, noua doctrinæ lux oriri videretur, omnium piorum & prudentum iudicio. Hic monstrauit Legis & Euangelij discrimen, hîc refutauit errorem, qui tunc in scholis & concionib. regnabat, qui docet, mereri homines remissionem peccatorum proprijs operibus, & homines coram Deo iustos esse disciplina, vt Pharisæi docuerunt. Reuocauit igitur Lutherus hominum mentes ad filium Dei, & vt Baptista, monstrauit agnum Dei, qui tulit peccata nostra, ostendit gra-

tis propter filium Dei remitti peccata; & quidem oportere id beneficium fide accipi. Illustrauit & cæteras partes doctrinæ Ecclesiasticæ.

Hæc ei exordia rerum optimarum magnam autoritatem circumdederunt, præsertim cum mores congruerent cum oratione docentis, videreturq; oratio non in labris nasci, sed in pectore. Hæc vitæ admiratio magnas effecit inclinationes in animis auditorum, vt veteres etiam dixerunt, σχεδὸν, ὡς εἰπεῖν, κυριωτάτην ἔχει πίστιν τὸ ἦθος. Quare postea cum quosdam receptos ritus mutaret, honesti viri, qui eum norant, minus vehementer aduersati sunt, eiq; propter autoritatem, quam & rerum bonarum illustratione, & sanctitate morum antea pepererat, in ijs sententijs adsenserunt, quibus magno cum dolore videbant orbem terrarum distrahi.

Nec Lutherus tunc in ritibus quidquam mutabat, imò tetricus disciplinæ custos inter suos erat, nec miscuerat aliquid opinionum horridiorum; Sed illam communem & prorsus necessariam doctrinã omnibus magis magisq; illustrabat, de pœnitentia, de remissione peccatorum, de fide, de veris consolationibus in cruce. Huius doctrinæ dulcedine pij omnes valde capiebantur. Et eruditis gratum erat, quasi ex tenebris, carcere, squalore educi Christum, Prophetas, Apostolos, conspici discrimen Legis & Euangelij, promissionum Legis & promissionis Euangelicæ.

gelicæ. Philosophiæ & Euangelij, quod certè non extabat in Thoma, Scoto, & similibus; Iustitiæ spiritualis & rerum politicarum.

Accedebat huc, quod Erasmi scriptis iam inuitata erant iuuentutis studia ad Latinæ & Græcæ linguæ cognitionem. Quare monstrato iam dulciore genere doctrinæ, multi bonis & liberis ingenijs præditi, abhorrere à barbarica & sophistica doctrina Monachorum incipiebant.

Ipse etiam Lutherus Græcæ & Hebraicæ linguæ studijs se dedere cœpit, ut cognita sermonis proprietate & phrasi, & hausta ex fontibus doctrina, dexterius iudicare posset.

In hoc cursu cum esset Lutherus, circumferuntur venales Indulgentiæ in his regionibus à Tecelio Dominicano impudentissimo sycophanta, cuius impijs & nefarijs concionibus irritatus Lutherus, studio pietatis ardens, edidit propositiones de indulgentijs, quæ in primo Tomo monumentorum ipsius extant, & has publicè Templo, quod arci VVitebergensi contiguum est, affixit pridie festi omnium Sanctorum, Anno 1517. Hic Tecelius nihil sui dissimilis, ac sperans etiam gratiam se apud Romanum Pontificem initurum esse, suum Senatum conuocat, Monachos aliquot & Theologos sophistica sua vtcunq; leuiter tinctos, hos componere aliquid iubet aduersus Lutherum. Ipse interea, ne esset κωφὸν πρόσωπον, non iam concio-

bat;

nes, sed fulmina in Lutherū torquet, vociferatur, vbiq; hunc Hæreticum igni perdendum esse. Propositiones etiam Lutheri & Concionem de indulgentijs publice coniecit in flammas. Hi furores Tecelij & eius satellitum imponunt necessitatem Luthero, de rebus iisdem copiosius disserendi, & tuendæ veritatis.

Hæc initia fuerunt huius controuersiæ, in qua Lutherus nihil adhuc suspicans aut somnians de futura mutatione rituum, ne quidem ipsas indulgentias prorsus abijciebat, sed tantum moderationem flagitabat. Quare falsò eum calumniantur, qui a plausibili causa exorsum dicunt, vt postea mutaret Rempub. & vel sibi vel alijs potentiam quæreret. Ac tantum abest, vt ab aulicis subornatus aut incitatus sit, sicut scripsit Dux Brunsuuicensis, vt doluerit etiam dux Fridericus moueri certamina, longè prospiciens, quanquam exordium esset de re plausibili, tamen paulatim latius vagaturam esse hanc flammā, vt de Lite apud Homerū dicitur: Parua metu primo, mox sese attollit in auras.

Cumq; vnus omnium nostræ ætatis principum Fridericus & tranquillitatis publicæ amantissimus fuerit, & minimè πλεονεκτικὸς maximeq; solitus sit referre consilia ad communem salutem orbis terrarum, vt ex multis rebus intelligi potest, nec incitator Luthero, nec adplausor fuit, suumq; dolorem sæpè significauit, quem assiduè circumtulit, metuens discordias maiores.

Sed vir sapiens, & non tantum prophana iudicia sequens, quæ tenera initia omnium mutationum celerrimè opprimi iubent, Sed etiam normam diuinam in consilium adhibens, quæ iubet audiri Euangelium, & vetat agnitæ veritati aduersari, ac blasphemiam vocat horribiliter damnatam à Deo, pertinaciam veritati aduersantem. fecit, quod multi alij pij & sapientes fecerunt, Deo cessit, studiosè legit ea quæ scribebantur, & ea quæ iudicauit vera esse, delere non voluit.

Scio etiam sæpè eum sciscitatum de rebus ipsis eruditorum & sapientum sententias, & in eo Conuentu, quem in vrbe Agrippina Colonia egit Imp. Carolus V. post coronationem, Erasmum Roterodamum amanter orasse, vt liberè diceret, num errare Lutherum in ijs controuersijs iudicaret, de quibus præcipuè disseruisset. Ibi Erasmus planè dixit, rectè sentire Lutherum, sed lenitatem se in eo desiderare. Qua de re grauissimè postea dux Fridericus ad Lutherum scribens, valdè eum hortatus est, vt styli asperitatem moderaretur.

Erasmu

Constat enim Lutherum Cardinali Caietano promissurum fuisse silentium, si aduersarijs etiam silentium indiceretur. Qua ex re perspicuè intelligi potest, tunc quidem nondum eum decreuisse, alia se deinceps moturum esse certamina, sed tranquillitatis cupidum fuisse, sed paulatim ad alias

materias pertractum esse, vndiq; lacessentibus eum indoctis Scriptoribus.

Secutæ sunt igitur Disputationes de discrimine Legum diuinarum & humanarum, de tetra prophanatione Cœnæ Domini, in venditione & applicatione eius pro alijs. Hîc explicanda tota Sacrificij ratio fuit, & ostendendus vsus Sacramentorum. Cumq; iam audirent homines pij in Monasterijs fugienda esse idola, discedere ex impia seruitute cœperunt.

Addidit igitur Lutherus ad explicationem doctrinæ de pœnitentia, de remißione peccatorum, de fide, de indulgentijs, deinde & has materias, discrimen Legum diuinarum & humanarum, & doctrinam de vsu Cœnæ Domini, & aliorum Sacramentorum, & de Votis. Et hæc fuerunt præcipua certamina. Quæstionem de Romani Episcopi potestate Eccius mouit, non aliam ob causam, nisi vt accenderet Pontificis & Regum odia aduersus eum.

Symbola verò Apostolicum, Nicenum & Athanasianum purißimè retinuit, Deinde in ritibus & traditionibus humanis quid & cur mutandum sit, satis copiose in multis scriptis exponit. Et quid retineri voluerit, & quam formam doctrinæ & administrationis Sacramentorum probauerit, liquet ex confeßione, quam Dux Saxoniæ Elector

Ioannes,

Ioannes, & princeps Philippus Landgrauius Cattorum &c. in Conuentu Augustano Imp. Carolo V. Anno 1530. exhibuerunt. Liquet idem ex ipsis Ecclesiæ ritibus in hac vrbe, et ex doctrina, quam sonat Ecclesia nostra, cuius summa in Confeßione perspicuè comprehensa est. Quod ideo recito, vt non solum considerent pij, quos errores taxauerit, quæ idola sustulerit Lutherus, sed etiã sciant complexum esse vniuersam doctrinam Ecclesiæ necessariam, & puritatem in ritibus restituisse, & pijs Exempla instaurandarum Ecclesiarum monstrasse. Ac vtile est, posteritatem scire, quid probarit Lutherus.

Illud commemorare hoc loco nolo, qui primi publicè præbuerint vtranq; partem Cœnæ Domini, qui primi omiserint priuatas Missas, vbi deserta primum sint Monasteria. Nam Lutherus de his materijs ante Conuentum, qui fuit in vrbe Vanniorum, Anno 1521. tantum pauca disputauerat. Ritus non mutauit ipse, sed eo absente Carolstadius et alij ritus mutarunt.

Cumq; quædam tumultuosius fecisset Carolstadius, rediens Lutherus, quid probaret aut non probaret, editis suæ sententiæ perspicuis testimonijs, declarauit.

Scimus politicos viros vehementer detestari omnes mutationes, & fatendum est, discordijs etiam propter iustißimas causas motis, in hac tristi

 confu-

confusione vitæ humanæ semper aliquid mali misceri. Sed tamen in Ecclesia necesse est anteferri mandatum Dei omnibus rebus humanis. Aeternus pater hanc vocem de Filio edidit: Hic est Filius meus dilectus, Hunc audite. Et minitatur æternam iram blasphemis, hoc est, ijs, qui agnitam veritatem delere conantur. Quare piam & necessarium officium fuit Lutheri, præsertim cum Ecclesiam Dei doceret, taxare perniciosos errores, quos homines Epicurei, etiam noua impudentia cumulabant, & auditores rectè docenti assentiri necesse fuit. Si verò mutatio odiosa est, si in discordia multa sint incommoda, vt esse multa magno cum dolore cernimus, culpa est tum illorum, qui initio errores sparserunt, tum horum, qui nunc eos diabolico odio tuentur.

Hæc non modò eò commemoro, vt Lutherum & eius auditores defendam, sed etiam, vt piæ mentes hoc tempore & ad posteritatem cogitent, qualis sit & semper fuerit veræ Ecclesiæ Dei gubernatio, quomodo Deus sibi voce Euangelij æternam Ecclesiam ex hac massa peccati, hoc est, ex magna hominum colluuie excerpat, inter quos lucet Euangelium, vt scintilla in tenebris. Vt Pharisæorum tempore tamen Zacharias, Elisabet, Maria & alij multi veræ doctrinæ custodes fuerunt: Ita etiam ante hæc tempora multi fuerunt, rectè inuocantes Deum, alij magis alij minus perspicuè tenentes Euangelij

gelij doctrinam. Talis fuit & ille senex, de quo dixi, qui Lutherum conflictantem pauoribus sæpe erexit, eiq́ue aliquo modo monstrator fuit doctrinæ de fide. Ita vt seruet Deus deinceps in multis lucem Euangelij, ardentibus votis precemur, Sicut Esaias pro suis auditoribus precatur, Obsigna legem in discipulis meis. Deinde hæc commemoratio ostendit fucatas superstitiones non esse durabiles, sed euelli diuinitus. Hæc cum sit causa mutationum, cauendum est, ne Errores in Ecclesia doceantur.

Sed redeo ad Lutherum, vt initio sine priuata cupiditate, in hanc causam ingressus est, ita etsi fuit natura ardens & iracundus, tamen semper sui muneris memor, tantum docendo præliatus est, ac vetuit arma sumi, sapienterq́ue distinxit officia toto genere diuersa Episcopi docentis Ecclesiam Dei, & Magistratuum, qui gladio cohercent certorum locorum multitudinem.

Quare cum aliquoties diabolus, qui scandalis dissipare Ecclesiam, & contumelia Deum adficere studet, & vt est ἐπιχαιρέκακος, voluptatem capit ex hominum miserorum erroribus & exitio, inflammasset seditiosa ingenia ad excitandos tumultus, vt Monetariam & similes, acerrimè illos furores damnauit, & dignitatem ac vincula omnia politici ordinis non solum ornauit, sed etiam muniuit. Cum autem apud me cogito, quàm multi magni viri in Ecclesia sæpe in hac re hallucinati sint,

planè statuo, non sola humana diligentia, sed etiam diuina luce pectus eius gubernatum esse, ut intra sui muneris metas tam constanter manserit.

Execrabatur igitur non solum huius ætatis seditiosos doctores, Monetarium & Anabaptistas, sed etiam eos Episcopos vrbis Romæ, qui audacissimè impudentissimeq; Decretis conditis affirmarunt, Petro non tantum Euangelij docendi munus mandatum esse, sed etiam imperia politica tradita esse.

Deniq; erat hortator omnibus, vt quæ Dei sunt, Deo darent, quæ Cæsaris, Cæsari, id est, vt vera pœnitentia, veræ doctrinæ agnitione, & propagatione, vera inuocatione, & bonæ conscientiæ officijs Deum colerent. Suæ verò politiæ quisque in omnibus ciuilibus officijs reuerenter propter Deum obtemperaret. Ac talis quidem Lutherus ipse fuit, quæ Dei sunt, Deo dedit, rectè docuit, Deum rectè inuocauit, habuit & alias virtutes necessarias in homine, qui placet Deo. Deinde in politica consuetudine constantissimè vitauit omnia seditiosa consilia. Has virtutes tanta esse iudico decora, vt alia maiora in hac vita expeti non possint.

Et quanquam ipsius viri virtus etiam laude digna est, qui Dei donis reuerenter vsus est, tamen præcipuè Deo gratias agi necesse est, quod per eum restituit nobis Euangelij lucem, & ipsius doctrinæ memoria retinenda & propaganda est. Nec emoueor clamoribus Epicureorum aut hypocritarũ,

qui

qui aut rident aut damnant manifestam veritatem, sed verè statuo, consensum perpetuum esse Catholicæ Ecclesiæ Dei hanc ipsam doctrinæ vocem, quæ sonat in Ecclesiis nostris, & huius doctrinæ agnitione necessariò regendam esse inuocationem & vitam. Deniq; hanc ipsam esse doctrinam, de qua filius Dei inquit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. & Pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Loquor enim de summa doctrinæ, vt in Ecclesiis nostris à piis & eruditis intelligitur & explicatur. Nam etiamsi alij magis alij minus propriè & concinnè interdum aliquid explicant, aut alius alio horridius interdum loquitur, tamen de rebus in summa inter pios & eruditos consensus est.

Ac mihi sæpè multumq; cogitanti, de omnium temporum doctrina, inde vsq; ab Apostolis, post primam puritatem secutæ videntur mutationes doctrinæ insignes quatuor. Origenica ætas, etsi aliqui fuerunt rectè sentientes, qualem fuisse Methodium arbitror, qui deliramenta Origenis improbauit. tamen in animis multitudinis inflexit Euangelium ad Philosophiam. hoc est, offudit hanc persuasionem, mediocrem rationis disciplinam mereri remissionem peccatorum, & esse iusticiam de qua diceretur: Iustus ex fide sua viuet. Hæc ætas penè amisit totum discrimen Legis & Euangelij, & sermonem Apostolicum dedidicit. Non enim retinuit natiuam

significationem vocabulorum literæ, spiritus, iustitiæ, fidei. Et amissa verborum proprietate, quæ rerum notæ sunt, alias confingi res necesse est. Ex his seminibus ortus est Pelagij error, qui latè vagatus est. Itaq; cum Apostoli puram doctrinam seu limpidos & saluberrimos fontes Ecclesiæ dedissent, multum infudit cæni Origenes.

Huius ætatis errores vt emendarentur, saltem aliqua ex parte Augustinum Deus excitauit, hic mediocriter fontes repurgauit, nec dubito, si hic iudex esset controuersiarum huius ætatis, habituros nos eum prorsus ὁμόψηφον. Certè de remißione gratuita, de iustitia fidei, de vsu Sacramentorum, de adiaphoris expreßè nobiscum sentit. Etsi autem alibi magis, alibi minus disertè seu propriè exponit quod vult, tamen si lector candorem & dexteritatem in iudicando ad eum adferet, sentire eum nobiscum agnoscet. Quod enim aduersarij nostri interdum sententias ex eo decerptas, contra nos citant & ad patres magno clamore prouocant, id non faciunt veritatis & antiquitatis studio, sed sycophanticè præsentibus idolis autoritatem veterum prætexunt, quibus hæc idola postremæ ætatis adhuc ignota erant.

Sed semina superstitionum tamen in illa Patrum ætate extitisse adparet. Ideo & de votis quædam constituit Augustinus, etsi de his quoque minus horridè loquitur quàm cæteri. Semper autem

rem aliquid ineptiarum singulis etiam bonis aspergunt contagia suæ ætatis, quia vt patriæ, ita præsentibus ritibus fauemus, quibus innutriti sumus, verissimumque illud est Euripidis, πᾶμ συντροφομ γλυκύ. Vtinam verò omnes qui Augustinum sequi se iactitant, perpetuam sententiam, & vt ita dicam, pectus Augustini referrent, non tantum mutila dicta calumniose detorquerent ad suas opiniones.

Ac restituta lux Augustini scriptis, posteritati profuit. Nam deinde Prosper, Maximus, Hugo, & aliqui similes, qui studia gubernarunt, vsque ad Bernardi ætatem, propemodum Augustini normam sequuntur. Interea tamen crescentibus Imperijs et opibus Episcoporum, secuta est velut Gygantum ætas, prophani homines & indocti regnarunt in Ecclesia, quorum aliqui aulæ Romanæ artibus, aut forensi doctrina exculti fuerunt.

Exorti sunt igitur Dominicani & Franciscani, qui cum viderent luxum & opes Episcoporum, & prophanos mores detestarentur, modestiorem vitam instituerunt, seque quasi disciplinæ carceribus incluserunt. Sed primum inscitia superstitiones auxit, Deinde cum viderent hominum studia in Scholis ad solam forensem doctrinam conuerti, quod Romæ iam lites multis augerent autoritatem & opes, ipsi reuocare homines ad Theologica studia conati sunt, sed consilium defuit. Albertus & similes

qui dediti fuerant Aristotelis doctrinæ, transformare Ecclesiæ doctrinam in Philosophiam cœperunt. Et hæc quarta ætas, non tantum cœnum, sed insuper venena, id est, opiniones probantes manifesta idola in fontes Euangelicos infudit. Tantum labyrinthorum & falsarum opinionum est in Thoma, Scoto & similibus, vt semper saniores Theologi desiderauerint aliud genus doctrinæ planius & purius.

Nec sine insigni impudentia dici potest, non fuisse opus eius doctrinæ mutatione, cum manifestum sit, magnam partem sophismatum in illis disputationibus ne ab alijs quidem intelligi, qui in eo doctrinæ genere consenuerunt. Deinde apertè confirmantur εἰδωλομανίαν, vbi docent applicationes sacrificij ex opere operato, vbi statuarum inuocationes excusant, vbi negant gratis remitti peccata fide, vbi ex cæremonijs humanis carnificinam faciunt conscientiarum, deniq; multa sunt alia magis tetra & δύσφημα, quæ cogitans toto corpore cohorresco.

Gratias igitur agamus Deo æterno Patri domini nostri Iesu Christi, qui Martini Lutheri ministerio ex fontibus Euangelicis rursus eijci cœnum & venena voluit, & Ecclesiæ puram doctrinam restituit, qua de re cogitantes omnes pios toto orbe terrarum coniungere vota & gemitus decet, ac petere ardentibus pectoribus, vt Deus confirmet hoc,

quod

quodoperatus est in nobis propter templum sanctũ suum. Tua est hæc vox & promißio viue & vere Deus æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum & Ecclesiæ: Propter nomen meum miserebor vestri, Propter me, propter me faciam, vt non blasphemer. Te oro toto pectore vt propter gloriam tuam, & Filij tui, semper tibi inter nos quoq; Ecclesiam æternam voce Euangelij tui colligas, & propter Filium tuum dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum μεσίτlω καὶ ἱκέτlω, nostra pectora Spiritu sancto regas, vt te verè inuocemus, et officia tibi placentia præstemus.

Rege etiam studia doctrinæ, & guberna ac serua has politias & earum disciplinam, quæ sunt hospitia tuæ Ecclesiæ & studiorum. Cum ideo genus humanum condideris, vt ab hominibus agnoscaris, & inuoceris, quare & illustribus testimonijs te patefecisti, non sinas deleri hæc agmina, in quibus doctrina tua sonat. Cumq; Filius tuus dominus noster Iesus Christus aditurus agonem suum precatus sit pro nobis: Pater sanctifica eos in veritate, Sermo tuus est veritas. Ad huius nostri Sacerdotis precationẽ, nostra vota adiungimus et petimus vnà cũ ipso, vt tua doctrina semper luceat in genere humano, & nos gubernet. Hæc quotidie precantẽ et Lutherum audiebamus, & inter hæc vota anima eius ex mortali corpore, placidè euocata est, cum iam ageret annum sexagesimum tertium. Habet

Habet posteritas multa monumenta & doctrinæ & pietatis ipsius. Edidit scripta διδασκαλικὰ, in quibus doctrinam complexus est salutarem, & necessariam hominibus, erudientem bonas mentes de pœnitentia, fide & veris fructibus fidei, de vsu Sacramentorum, de discrimine Legis & Euangelij, de discrimine Euangelij & Philosophiæ, de dignitate politici ordinis, denique de præcipuis articulis doctrinæ, quam in Ecclesia extare necesse est. Deinde addidit ἐλεγκτικά, in quib. refutauit multos errores perniciosos hominibus. Edidit & ἐξηγητικά, id est, enarrationes plurimas in Prophetica & Apostolica scripta, quo in genere etiam inimici fatentur, eum superare omnium enarrationes quæ extant.

Hæc merita esse magna omnes piæ mentes intelligunt, sed profectò vtilitate & labore æquat hæc opera interpretatio veteris & noui testamenti, in qua tanta est perspicuitas, vt vice Commentarij esse possit ipsa germanica lectio. Quæ tamen non est nuda, sed habet adiunctas eruditissimas annotationes, & singularum partium argumenta, quæ & summam doctrinæ cœlestis monstrant, & de genere sermonis erudiunt lectorem, vt ex ipsis fontibus bonæ mentes firma testimonia doctrinæ sumere possint. Volebat enim Lutherus non detinere in suis scriptis, sed ad fontes deducere omnium mentes. Ipsam vocem Dei audire nos voluit, hac voluit in


multis

multis accendi veram fidem & inuocationem, vt Deus verè celebraretur, & multi fierent hæredes vitæ æternæ.

Hanc voluptatem & hos tantos labores & grata mente prædicare decet, & exempli causa meminisse, vt nos quoq; pro suo quisq; modo ornare Ecclesiam studeat. Nam ad hos duos fines præcipuè tota vita, & omnia vitæ studia & consilia referenda sunt. Primum, vt Dei gloriam illustremus: Deinde, vt Ecclesiæ prosimus. De quorum altero dicit Paulus, Omnia ad gloriam Dei facite. De altero Psalmus 122. Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem. Et additur dulcißima promißio in eodem versu, Eos qui diligunt Ecclesiam fœlices & beatos fore. Hæc cœlestia mandata & hæ promißiones inuitent omnes, vt Ecclesiæ doctrinam rectè discant, ament ministros Euangelij, & salutares Doctores, et conferant studium & operam ad veræ doctrinæ propagationem, & ad veræ Ecclesiæ concordiam tuendam.

ACTA

ACTA REVERENDI PATRIS D. Martini Luth. coram Cæſare Carolo V. Principibus, Electoribus, & imperij ordinibus, in Comitijs Principum VVormatiæ, ex tomo ſecundo latino operum ipſius.



NNO SALVTIS NOſtræ M. D. XXI. poſt Dominicam Miſericordias Domini, feria tertia D. Martinus Lutherus VVormatiam ingreſſus eſt, vocatus à Carolo Imperatore, eius nominis Quinto, Rege Hiſpaniarum, Archiduce Auſtriæ &c. qui primo Imperij ſui anno, primum conuentum Principũ in ea vrbe regia celebrauit. Cum autem ante triennium Paradoxa quædam diſputanda propoſuiſſet VVitebergæ in Saxonibus D. Martinus, aduerſus tyrannidem Romani Epiſcopi (quæ tamen interea à Pontificijs variè lacerata, damnata & exuſta fuerunt, à nullo tamen aut ſcripturis aut rationibus conuicta) cœpit res ad tumultum ſpectare, vulgo cauſam Euangelij aduerſus Clericos tuente. Et ob id bonum videbatur, inſtigantibus Romanis

Romanis legatis, vt ipse Lutherus accerseretur Fæciali Cæsareo, & literis salui conductus in hoc à Cæsare et principibus datis. Accersitur, venit, ac diuertit in Curiam Rhodiensium militum, seu quos vocant, Teutonici ordinis, vbi hospitio acceptus est, & à multis comitibus, Baronibus, Equitibus auratis, Nobilibus, Sacrificis & prophanis in multam vsq; noctem salutatus ac requisitus.

Cæterum multis & aduersariæ partis & alijs aduentus eius prorsus præter opinionem acciderat. Nam etsi per nuncium Imperialem, & datis literis publicæ fidei accersitus erat: tamen quia paucis diebus antequam veniret, publicè & palàm affixis literis eius libri damnati erant, nemo existimabat eum, hoc præiudicio condemnatum, aduenturum esse. Et cum in vicino oppido Oppenheim, vbi primum hæc resciuit Lutherus, ab amicis eius deliberatio haberetur, ac pleriq; consulerent, ne se ipse exponeret periculo, cum videret hæc principia contra datam fidem fieri, auditis omnibus, ipse magno animo respondit: Mihi verò, quia vocatus sum, decretum & certum est ingredi in vrbem, in nomine Domini Iesu Christi, etiamsi scirem tot diabolos mihi oppositos, quot sunt tegulæ in omnibus totius vrbis tectis, &c.

Altero die post aduentum eius, feria quarta, vir nobilis magister equitum imperij, Vlricus de Pappenheim, a Cæsare missus, ante prandij tempus venit,

venit, indicans D. Martino Caroli Imperatoris mandatum, vt hora pomeridiana quarta apud Cæsaream Maiestatem, Principes, Electores, Duces, & reliquos imperij ordines sese sistat, auditurus ad quid accersitus sit. Quod D. Martinus, vt debuit, accepit.

Ac statim post horam quartam auditam eius diei, venit D. Vlricus de Pappenheim, & Casparus Sturm Fæcialis per Germanias Cæsareus (quo Caduceatore è VViteberga erat excitus, ac VVormatiam vsq; deductus D. Martinus) qui ipsum euocatum comitabantur per hortum Curiæ Rhodiensium, in diuersorium Palatini Comitis. Et ne quid à turba pateretur, quæ in iusto ad Cæsaream domũ itinere magna fuit, per gradus quosdam abditos in Auditorium deductus est. Non tamen latuit multos, qui ab ingressu vix vi prohibebantur, plæriq; pergulas conscenderunt, studio videndi Lutherum.

Cum igitur staret in conspectu Cæsareæ Maiestatis, Principum, Electorum, & Ducum, breuiter, omnium Imperij ordinum, qui tum Cæsari adfuere, D. Martinus primum admonitus est ab Vlrico de Pappenheim, ne quid loqueretur, nisi quæsitus.

Ibi Cæsareæ Maiestatis Orator Ioannes Eccius Officialis generalis Episcopi Treuerensis, alta & intelligibili voce, primum latinè, deinde germanicè, iussu Imperatoris dixit & proposuit eandem senten-

sententiam in hunc, aut ei in effectu similem, qui sequitur modum:

Martine Luthere, Sacra & inuicta Cæsarea Maiestas, de consilio omnium sacri Romani Imperij ordinum, ad solium Maiestatis suæ huc vocari te iussit. vt his duabus de causis te interrogarem: Primùm, fatearisne libros hos præsentes (fasce librorum ipsius latinè et germanicè scriptorum ostenso) qui tuo nomine prætitulati circumferuntur, tuos esse, illosq́ pro tuis agnoscas nec ne? Deinde, an illos & eorundem contenta retractare et reuocare, vel inhærere eisdem potius & inseuerare velis?

Hîc, priusquam Lutherus responderet, D. Hieronymus Schurff, qui Doctori Martino additus adstabat, exclamauit: intitulentur libri. Hîc Officialis Treuerensis, ex libris D. Martini Lutheri, eos qui Basileæ simul sunt excusi, nominatim recitauit. inter quos etiam numerabantur Commentarij in Psalterium, Libellus de bonis operibus, Commentarius in Dominicam orationem, & præter hos alij libelli Christiani, non contentiosi.

Post hæc & ad hæc D. Martinus ista reddidit latinè & germanicè: A Cæsarea Maiestate duo mihi proponuntur: Primum, an libros omnes nomen meum habentes pro meis agnoscere velim? Secundum, An defendere, an verò quidquam reclamare velim ex ijs quæ hactenus per me scripta &

gitandi ſpacium. qui tanto tempore ſciuiſti, ad quid vocareris. Et fidei negocium tam certum omnibus eſſe conueniebat, vt quiſq; quocunq; tempore poſtulatus, rationem eius certam & conſtantem reddere poſſit, nedum tu tantus & tam exercitatus Theologiæ profeſſor. Age, tandem reſponde Cæſareæ poſtulationi, cuius benignitatem in impetrando cogitandi ſpacio ſenſiſti. Viſne libros tuos agnitos omnes tueri? an verò quidquam retractare? Hæc latinè & germanicè dixit Officialis.

Reſpondit D. Martinus, & ipſe latinè & germanicè, quanquam ſuppliciter, non clamosè, ac modeſtè, non tamen ſine Chriſtiana animoſitate & conſtantia, et ita, vt cupierint Aduerſarij orationem & animum abiectiorem. Sed multi cupidiſſimè expectarunt Reuocationem, cuius ſpem, expetito deliberandi ſpacio, nonnulli conceperant.

Sic autem reſpondit:

SERENISS. domine Imperator, Illuſtriſſ. Principes, clementiſſimi Domini, ad præfixum mihi heſterno veſperi terminum obediens compareo, per miſericordiam Dei obſecrans, sereniſſ. Maieſtas veſtra, Dominationesq; veſtræ illuſtriſſimæ, dignentur cauſam hanc (vt ſpero) iuſtitiæ & veritatis clementer audire. Atq; ſi per imperitiam meam vel dignos titulos cuiquam non dedero, vel quocunq; modo in mores geſtusq; aulicos peccauero, benigni-

benigniter ignoscere, vt homini non in Aulis, sed in angulis Monachorum versato, qui nihil aliud de me testari possum, quam ea simplicitate animi hactenus me docuisse & scripsisse, vt tantum gloriam Dei, & synceram fidelium Christi institutionem spectarem.

Sereniss. Imperator, Illustriss. Principes, clementiss. Domini, Ad duos illos articulos heri per sereniss. Maiestatem vestram mihi propositos, scilicet: an libellos recensitos, & nomine meo euulgatos agnoscerem meos, & in his defendendis perseuerare aut reuocare velim? Dedi paratum & planum meum responsum, super Articulo priore, in quo adhuc persisto, persistamq; in æternum, Esse videlicet eos libros meos, meoq; nomine à me euulgatos, nisi fortè interim acciderit, vt æmulorum vel astutia, vel sapientia importuna quidquam in illis mutatũ, aut deprauatè excerptum sit. Nam aliud planè nõ agnosco, nisi quod mei solius est, & à me solo scriptum, citra omnis cuiusuis industriæ interpretationem.

Ad alterum verò responsurus, rogo, sereniss. Maiestas vestra, & Dominationes vestræ dignentur animum aduertere. Libros meos non esse omnes eiusdem generis: Sunt enim aliqui, in quibus pietatem fidei & morum adeò simpliciter & Euangelicè tractaui, vt ipsimet Aduersarij cogantur eos confiteri vtiles, innoxios, & planè dignos lectione Chri-

nam audire, etiam à vilissimo seruo, quantò magis ego fex, non nisi errare potens, debeo exp tere & expectare, si quis testimonium reddere velit aduersus meam doctrinam?

Itaq; rogo per misericordiam Dei, sereniss. Maiestas vestra, Illustrissimæq; dominationes vestræ, aut quicunq; tandem, vel summus vel infimus possit, reddat testimonium, conuincat errores, superet scripturis Propheticis & Apostolicis, paratissimus enim ero, si edoctus fuero, quemcunq; errorem reuocare, eroq; primus, qui libellos meos in ignem projiciam.

Ex his arbitror liquidum fieri, me satis curasse, & ponderasse discrimina & pericula, seu studia & dissensiones, meæ doctrinæ occasione in orbe excitata, de quibus heri grauiter & fortiter admonitus fui. Mihi planè omnium iucundissima facies ista in rebus est, videre ob verbū Dei studia & dissensiones fieri, Is enim est verbi cursus, casus & euentus. Nam dicit, Non veni pacem mittere sed gladium, Veni enim separare hominem aduersus patrem, &c.

Proinde cogitandum nobis est, quod Deus noster sit mirabilis & terribilis in consilijs suis, ne fortè id, quod tantis studijs tentatur, si à damnato verbo Dei exordiamur, vergat postea potiùs in intolerabile malorum diluuium, & quod cauendum sit, ne adolescentis huius optimi principis Caroli (in quo

quo post Deum multa spes est) infelix & inauspicatum fiat imperium.

Possem locupletius exemplis Scripturæ, de Pharaone, rege Babylonis, & regibus Israel rem declarare, qui tum sese maximè perdiderunt, cum sapientissimis consilijs sua Regna pacificare & stabilire studuerunt: Ipse est enim qui comprehendit astutos in astutia sua, & subuertit montes antequàm cognoscant. Itaque timere Dei opus est.

Non hæc dico, quod opus sit mea vel doctrina vel admonitione tantis verticibus, sed quòd obsequium meæ Germaniæ debitum subtrahere non debuerim. Et his me serenissimæ maiestati vestræ Dominationibusq; vestris commendo, humiliter rogans, ne patiantur studijs Aduersariorum me sibi sine causa reddi inuisum. DIXI.

His dictis, Orator imperij increpabundo similis, dixit, eum non ad rem respondisse, nec deberi in quæstionem vocari, quæ olim in Concilijs essent damnata & definita. Ideo ab eo peti simplex & non cornutum responsum, An velit reuocare vel non?

Hic Lutherus: Quando ergo serenissima Maiestas vestra. Dominationesq; vestræ simplex responsum petunt, dabo illud, neq; cornutum neq; dentatum, in hunc modum: Nisi conuictus fuero testimonijs Scripturarum, aut ratione euidente (nam neq; Papæ, neq; Concilijs solis credo, cum constet ea errasse sæpius, & sibiipsis contradixisse)

victus sum Scripturis à me adductis, captaq; est cõscientia in verbis Dei, reuocare neq; possum neq; volo quidquam, cum contra conscientiam agere neque tutum sit neq; integrum.

Hie stehe ich / Ich kan nicht anders / GOTT helff mir / Amen.

Orationem hanc à Doctore Martino habitam, in consultationem deduxerunt principes. Examinatam conuellere cœpit Officialis Treuerensis, hoc modo:

Immodestius tu Martine respondisti, quàm tuam personam decebat, & adeò non ad propositum. Libros uariè partiris, verùm ita, vt ad interrogationem nihil faciant omnia. Quod si eos recantasses, in quibus errorum tuorum magna pars est, haud dubiè Cæsarea Maiest. ex ingenita clementia, reliquorum, qui boni sunt, persecutionem non toleraret. At qui tu, quæ vniuersale Constantiense Concilium damnauit, ex vniuersa Germanica natione congregatum, resuscitas, & per scripturam vinci vis, in quo vehementer deliras. Quid enim attinet nouam Disputationem celebrare de rebus per tot secula ab Ecclesia & Concilio condemnatis? Nisi fortè cuiuis de quocunq; ratio reddenda est. Quod si semel peruicerit, vt scripturis conuincendus sit, quicunq; Concilijs & Ecclesiæ sensis

contra-

contradicit, nihil habebimus in Cristianitate certum vel determinatum.

Et hæc causa est, ob quam Cæsarea Maiest. à te petit responsum simplex ac planum, aut negatiuum aut affirmatiuum. Num vis omnia tua pro catholicis tueri? An verò quicquam ex eis reuocare?

Ibi rogauit D. Martinus, ne se contra conscientiam à sanctis scripturis captam & impeditam, sine contradicentium manifestarijs argumentis, ad reuocandum cogi pateretur Cæsarea Maiest. Responsum quod petitur non cornutum, sed simplex & rectum. Neq; se aliud habere, quam quod ante quoq; dedisset: Nisi sufficientibus argumentis, conscientiam ab illis, quos ipsi vocant, erroribus captam explicarent Aduersarij, nec se posse ex retibus abire, quibus esset inuolutus. Non protinus vera esse, quæcunq; Concilia statuerunt, imò errasse concilia, & sibijpsis sæpè contraria definijsse, propterea non valere contradicentium argumentum. Se posse ostendere, quod Concilia errauerunt, reuocare non posse, quod sedulo palàm expressum sit in Scriptura.

Ad quæ nihil est responsum ab Officiali, nisi paucissimis, videlicet, quod ostendi non possit, Concilium velle errasse. D. Martinus verò ostendere se posse ac promisit.

Cum iam autem tenebræ totum auditorium haberent, propterea suã quisq; domũ abiuere. Discedentem

dentē à Cæsarea Maiest. & Tribunali, Hispanorum bona pars ronchis & subsannatione hominem Dei Lutherum longo rugitu prosecuti sunt.

Feria sexta post Misericord. Domini, cum conuenissent Principes, Electores, Duces, & reliqui Ordines, qui consultationibus adesse solent, Scriptū hoc habens in Senatum misit Cæsar: MAIORES nostri & ipsi Christiani principes fuerunt, nihilominus Ecclesiæ Romanæ audientes, quam nūc D. Martinus Lutherus impugnat. Et quia ne latum quidem vnguem ab erroribus discedere in animum induxit, non possumus nos cum decore à Maiorum exemplo desciscere, in antiqua fide tuenda, & Romanæ Sedi auxilium ferendo: Ipsum autem Martinum Lutherum & adhærentes, excommunicatione prosequemur, & si quæ aliæ patent ad extinguendum viæ. Datam tamen & ascriptam fidem violare nolumus. Imo daturi operam, vt saluus eò redeat, vnde est accitus.

Hanc Imperatoris Caroli sententiam versauerūt Principes, Electores, Duces, Imperij status, feria sexta per totum tempus pomeridianum, etiā Sabbatum integrum quod sequebatur, ita vt D. Martinus adhuc responsum à Cæsarea Maiestate nullum receperit.

Interea temporis visus est & visitatus à multis Principibus, Comitibus, Baronibus, Equitib. Nobilibus, Sacrificis, religiosis ac profanis, ne quid di-

tam de vulgi numero, Hi curiam nunquam non obsederunt, nec videndo satiari potuerunt. Etiam schedulæ binæ fuerunt affixæ, vna contra doctorem Lutherum, Altera, vt videbatur pro Doctore. Tametsi a multis adeoq; intelligentib. dolosè ab inimicis putatur factum idipsum, vt occasio esset rescindendi dati salui conductus, quod non impigrè quærebant Romani legati.

Feria secunda post Iubilate, ante Cœnam, Archiepiscopus Treuerensis renunciauit D. Martino, vt feria quarta sequenti coram ipso hora sexta ante prandium compareret, loco iterum designando. Die S. Georgij, sub cœna, redijt ad Lutherum is, qui erat à Sacris Archiepis. Treuerensis, iussu Principis sui petens, vt postridie hora nuper designata in diuersorium domini sui adesset.

Feria quarta post Georgij natalem, dicto parens D. Martinus, diuersorium Archiepiscopi Treuerensis ingreditur, adductus per Sacerdotem eius, & Caduceatorem Cæsareum, prosequentibus eum, qui hunc venientem è Saxonibus & Turingis comitati sunt, & aliquot alijs præterea amicissimis, vbi coram Archiepiscopo Treuerensi, Marchione Ioachimo Brandenburgensi, Duce Georgio Saxoniæ, Augustensi & Brandenburgensi Episcopis, Magistro Teutonicorum comite Georgio, Iohanne Bock Argentino, VVerdheymero & Reutingero Doctoribus. Doctor Vœus à Sacris Marchionis Bandensis,

dicere

dicere cœpit, & protestatus est, Non in hoc ipsum vocatum esse, vt tanquam in controuersia vel disputatione cum ipso conferrent, sed solum ex Christiana caritate & clementia quadam, Principes à Cæsarea Maiest. impetrasse, vt liceret eis clementer & fraternè exhortari eum.

Deinde ait, Concilia, tametsi diuersa statuerint, non tamen statuisse contraria. Quod si vel maximè errassent, ob id tamen non corruere eorum autoritatem, saltem adeò, vt quilibet suo sensu contra ea niti vellet. Inferens de Centurione & Zacheo multa, etiam de constitutionibus humanis, cæremonijs, statutis, ea omnia affirmans sancita ad reprimenda vitia, pro qualitate & vicißitudine temporum, nec posse Ecclesiam carere constitutionibus humanis. Ex fructibus cognosci arborem. Dici tamen ex legibus multa bona nata. Quòd concilijs S. Martinus, S. Nicolaus, & multi alij Sancti interfuerint.

Deinde quòd ingentes motus et tumultus incredibiles excitaturi sint libri eius. Quòd libello de libertate Christiana vulgus abutatur ad exuendum iugum, ad stabiliendam inobedientiam: Longè nunc secus habere, quàm cum credentium cor vnum & anima fuisset vna, legibus ergo opus esse.

Præterea expendendũ, quod cum bona multa scripsisset, & procul dubio bono spiritu, vt de Triplici iustitia, & alia, diabolum hac iam per insidias

dias occultas agere, vt omnia eius opera in perpetuum damnentur. Nam ex his quæ vltimo scripserit, verè iudicaretur, quemadmodum arbor non ex flore, sed ex fructibus cognoscatur.

Ibi addidit de Dæmonio meridiano & negocio perambulante in tenebris, & sagitta volante. Tota oratio fuit exhortatoria, locis rhetoricis, honestatis, vtilitatis Legum, & è regione periculorum conscientiæ et salutis publicæ & priuatæ, plena. Tum in principio, tum medio, tum calce identidem inculcans hanc admonitionem propensissima voluntate & clementia quadam singulari a Principibus fieri. Claudens in Epilogo minas addit, dicens futurum, vt si in proposito perseueraret, Cæsar procedat, eum ex Imperio eiecturus, commonefaciens, vt hæc & reliqua cogitaret & expenderet.

Respondit D. Martinus: clementissimi & illustriss. Principes & Domini, de voluntate ista clementissima & benignissima, ex qua hæc admonitio proficiscitur, ago gratias quã humilimè possũ. Agnosco enim me homuncionem longè viliorem esse, quàm vt tantis Principibus sim commonendus.

Deinde liberè pronunciat. Se non omnia Concilia reprehendisse, sed tantum Constantiense, ob hoc potissimum, quod verbum Dei damnauit. Quòd patet in Articulo hoc Iohannis Huss ibi damnato, Ecclesia Christi est vniuersitas prædestinatorum. Hunc Articulum damnasse Conciliũ Cõnstantiense,

certum

certum est, & sic consequenter hunc Articulum fidei nostræ: Credo Ecclesiam sanctam Catholicam. Aiebat igitur, se non recusare, & vitam & sanguinē impendere, modò eò non detrudatur, vt cogatur apertum Dei verbum reuocare. Nam in hoc defendendo, oportere Deo magis quàm hominibus obedire.

Neq; se hic posse cauere Scandalum fidei. Scandalum enim duplex esse, charitatis & fidei. Charitas quod in moribus & vita consistit. Fidei verò seu doctrinæ, quod in verbo Dei consistit, & hoc vitare se iam non posse, In sua enim potestate non esse, vt Christus non sit petra Scandali. Si oues Christi puro Euangelij pabulo pascerētur, fides Christi verè prædicaretur, essentq; boni ac pij Magistratus Ecclesiastici, qui fideliter officium suum facerent, non opus esse Ecclesiam onerare humanis traditionibus &c. Se scire, Obediendum esse Magistratibus & potestatibus etiam malè & iniquè viuentibus. Scire se, cedendum esse proprio sensui, Idq; se in suis scriptis docuisse, seq; obedientissimè præstiturum hæc omnia, modò non adigatur verbum Dei negare.

Secedente Doctore Martino, Principes colloquuntur, quidnam respondendum sit homini? Reuocatum igitur in Triclinium, Doct. Badensis repetiuit priora, commonefaciens, vt sua scripta iudicio Cæsaris & Imperij subijceret.

Respondit

Respondit D. Martinus suppliciter & modestè, se neq; pati neq; passurum, vt diceretur defugisse iudicium Cæsaris, procerum & ordinum Imperij. Tantum enim abesse, vt eorum examen reformidet, vt vel minimis quoq; accuratissimè sua expendi permitteret, modò id fieret autoritate verbi diuini & sacræ Scripturæ. Verbum autem Dei tam apertum pro se esse, vt cedere nequeat, nisi verbo Dei meliora edoctus. Scribere enim S. Augustinum, se didicisse hunc honorem solis libris illis habere, qui Canonici vocantur, vt veros credat, Cæteris verò doctoribus, quantalibet vel sanctitate vel doctrina polleant, ita demum credere, si vera scriberent. Ad hæc S. Paulum ad Thessal. scripsisse: Omnia probate, quod bonum est, tenete. Et ad Galatas: Etiamsi Angelus è cœlo veniat, & aliud prædicet, anathema sit, Itaq; ei non credendum: Ideo & se suppliciter orare, ne conscientiam suam vinculis scripturæ & verbi diuini alligatam, vrgeant ad negandum tam clarum verbum Dei, vtq; se commendatũ haberent, & præcipuè apud Cæsaream Maiest. efficerent, ne cogeretur contra conscientiam in hac causa quidquam agere, Alioqui se nihil non vel obsequentissimè facturum.

Hæc dicentem interrogauit Marchio Brandenburgensis Ioachimus Elector, Num dixisset se nõ cessurum, nisi conuictum sacra scriptura? Respon-

dit D. Martinus. Etiam domine clementißime, vel rationibus clarißimis & euidentibus.

Ita soluto hoc Conuentu, Principibus reliquis in curiam proficiscentibus, Treuerensis Archiepiscopus D. Martinum acciuit in suum Triclinium, adhibito Officiali suo Ioanne Eckio. & Cochleo: D. Mart. Luth. astabat D. Hieronymus Schurff, & Nicolaus Ambsdorffius. Ibi tum cœpit Officialis argumentari vt Sophista & Canonista, Papæ causam defendens: Ex sacris literis ferè semper nateas fuisse hæreses vt Arianam ex hoc Euangelij: Ioseph non cognouit coniugem suam, donec pareret primogenitum suum. Deinde eò progressus, vt niteretur conuellere hanc propositionem: Ecclesiam catholicam esse vniuersitatem Sanctorum, Ausus etiam ex lolio facere triticum, & ex corporum excrementis; membra. Hæc & similia ridicula & futilia ab ipso in medium prolata, D. Martinus, & D. Hieronymus Schurff perstrinxerunt, sobriè tamen, veluti ad rem ipsam nihil facientia; Nonnunquam instrepens & Iohannes Cochleus, conabatur D. Luthero persuadere. vt ab incœpto desisteret, & deinceps prorsus á scribendo & docendo abstineret. Tandem digreßi sunt.

Sub vesperam eiusdem diei. Treuerensis Archiepis. nunciauit D. Martino, interprete Ambsdorffio, fidem publicam à Cæsare in biduum protractam, vt interim cum eo agere posset. In hoc igitur postridie,

Docto-

Doctorem Peutingerum & Doctorem Badensem ad eum venturos, imò & seipsum cum eo acturum.

Feria igitur quinta; ipsa die Marcij, ante meridiem, Peutingerus et Badensis conati sunt persuadere D. Martino, vt simpliciter & absolutè Cæsari & Imperio permitteret iudicium de scriptis suis.

Respondit se omnia & facturum & passurum, si modò scripturæ sanctæ niterentur autoritate: Alioqui enim nihilminus commissurum. Nam Deum per Prophetam dixisse: Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus. Item Maledictus qui confidit in homine. Vehementius vrgentibus, respondit, Nihilminus permittendum hominum iudicio, quàm verbum Dei. Ita abierunt, rogantes vt deliberaret, meliora responsurus, à prandio se redituros.

Post prandium reuersi, idem quod ante meridiem, frustra conati sunt. Orauerunt, vt saltem Concilij futuri iudicio sua submitteret. Hoc permisit Lutherus, sed hac conditione vt decerptos ex libris suis Articulos ipsi exhiberent Concilio subijciendos; ita tamen, vt sententiam de illis ferrent ex scripturis et testimonijs eiusdē contrariū probarent.

Illi itaq; à D. Martino digressi, Archiepiscopo Treuerensi dicunt, Martinum pollicitum esse, se sua permissurum Concilio, in Articulis nonnullis, interimq; taciturū de ijsdem. Quod D. Martinus ne

 quidem

quidem cogitarat, vt qui neq; monitis neq; comminationibus vllis induci vnquam potuerit, vt vel negare vel hominum iudicio submittere vellet Libellos suos, quos claris & apertis Scripturæ testimonijs muniisset, nisi conuinceretur ex sacris literis & euidentibus rationibus errasse.

Accidit ergo singulari Dei munere, vt Treuerensis Archiepiscopus D. Martinum euocaret, eũ coram auditurus, Vbi cum diuersum intellexisset, quàm Beutingerus & Badensis dixissent, affirmauit, non magno redempturum, nisi audiuisset eum: Alioqui enim se statim Cæsarem aditurum fuisse, dicturumq; quæ retulissent Doctores.

Egit verò Treuerensis Archiepiscopus clementissimè cum D. Martino, primò, remotis omnibus Arbitris, cum de Cæsaris & imperij, tùm de Concilij iudicio. In quo colloquio D. Martinus nihil celauit Treuerensem, affirmans parum tutum fore, tantã rem illis permittere, qui sub fide publica euocatum, nouis mandatis aggreßi, damnassent suam sententiam, & Bullam Papæ approbassent.

Deinde admisso etiam amico, petiuit Treueren. Archiepis. à D. Martino remedia, quibus huic causæ occurri poßit. Respondit Lutherus, Meliora non esse remedia, quàm de quibus Gamaliel Act. 5. dixisset, teste S. Luca, Si ex hominibus consilium aut opus hoc est, dissoluetur, Si verò ex Deo est, dissoluere non poteritis. Hoc posse Cæsarem & Imperij

perij ordines scribere ad Pontificem Romanum, se certò scire, si hoc suum propositum ex Deo non sit, intra triennium imò biennium sponte sua periturum.

Dicenti Treuerensi, quid esset facturus, si decerperentur Articuli Concilio submittendi? Respondit Lutherus: Modò non sint hi, quos Concilium Constantiense damnauerit. Ait Treuerensis, Se verò timere, eos ipsos futuros. Atqui, inquit Lutherus, de eiusmodi tacere neq; possum neq; volo, vt qui certus sum, ijs decretis verbum Dei damnatum. Ideo vitam & caput potius amissurus sum, quàm tam larum verbum Domini deserturus.

Treuerensis videns D. Martinum Dei verbum iudicio hominum nequaquam submissurum, clementer eum dimisit, Rogantiq; vt curaret sibi commeatum clementem à Cæsarea Maiestat. Respondit: Se rem probè curaturum & renunciaturum.

Neq; ita multò pòst, Officialis Treuerensis, præsenti Cancellario quondam Maximiliani, à Secretis Cæsaris, D. Martino in diuersorio suo mandato Cæsaris dixit: Quia tam multipliciter à Cæsarea Maiest. Electoribus, Principibus, & ordinibus Imperij frustra commonefactus, ad cor & vnitatem noluerit redire, reliquum esse, vt Cæsar (vt aduocatus fidei Catholicæ) procedat. Ergo mandatum Cæsaris esse, vt intra viginti vnum dies hinc ad securita-

curitatem redeat, sub conductu publico, & liberè ipsi seruando, neq; vel prædicando vel scribendo, in itinere populum commoueat.

Quo audito D. Martinus modestißimè respondit: Sicuti Domino placuit, ita factum est, Sit nomen Domini benedictum. Deinde addebat, Se supplicem, primum omnium, sereniß. Cæsareæ Maiest. Principibus, & reliquis Imperij ordinibus gratias agere, quàm posset maximas, pro tam benigni & clementi audientia, proq; conductu libero & seruato & seruando. Neq; enim se quidquam desiderasse in eis, nisi reformationem per scripturam sanctã, à se tantopere flagitatam. Alioqui pro Cæsarea Maiestate & Imperio passurus omnia, vitam & mortem, famam & infamiam, nihilq; sibi prorsus reseruaturum, nisi vnicum verbum Domini liberum, ad confitendum & testificandum illud. Postremò, Cæsareæ Maiestati, & toti imperio se humilimè tum commendans, tum subijciens.

Postridie igitur, hoc est, feria sexta post Iubilate, die Aprilis vicesima sexta, salutatis Patronis & amicis, qui eum frequentißimè conuenerant, sumpto ientaculo hinc abijt, ad horam ante meridiem decimam, comitatus & ab ijs, qui huc venientem prosecuti sunt. Quem Caspar Sturm Caduceator post aliquot horas secutus, Oppenheim inuenit, Prosecutus vocali mandato Cæsaris Caroli.

Preca-

PRECATIO LVTHERI QVOTIDIANA ET SOLITA.

CONfirma Deus hoc in nobis, quod operatus es, & perfice opus tuum, quod incepisti in nobis, ad gloriam tuam, Amen.

EPISTOLA D. MARTINI LVTHERI, AD Principes, Electores & omnes Imperij ordines, scripta post discessum suum ex Vuormatia.

Gratiam & Pacem à Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo, Amen.

ILLVSTRISSIMI SAcri Romani Imperij Electores, cæteriqꝫ Principes ac Domini clementissimi, Posteaquam Cæsarea Maiestas, concessa mihi atqꝫ liberè seruata publica fide, VVormatiam me conuocasset,

 vt

Vt ibi declarationem meorum scriptorum, quæ sub meo nomine in publicum emissa fuerant, audiret. Ego me vt obsequentissimum diuini verbi Ministrum coram Cæsarea Maiestate, cæterisq; sacri Romani Imperij ordinibus obseruanter exhibui.

Primum itaq; Cæsarea Maiestas ex me perquiri iussit: Num præfatos libros agnoscam? Deinde, vtrum eos iam retractare, an verò in illorum sententia persistere velim? Cæterùm cum professus fuissem, me librorum, quos ipse scripsissem, si à maleuolis hominibus non deprauati, neque aliqua quacunq; ratione in fraudem meam immutati fuissent, assertorem fore, Summa cum obseruantia respondi, Libros meos apertissimis, & maximè perspicuis testimonijs sacræ scripturæ confirmatos esse. Graue igitur mihi & iniquum atq; adeò impossibile videri retractandis meis scriptis diuinum verbum abnegare.

Itaq; supplici voce precatus sum á Cæsarea maiestate, ne ad eiusmodi retractationem adigi me pateretur, sed potius vt sua Maiestas, aut alij quantumuis mediocres homines, qui ad hoc negotiū pares

pares essent futuri, Libros & scripta inspicerent, atque errata in eis deprehensa, Propheticis & Euangelicis scripturis redarguerent. Quod si falsi dogmatis conuicissent, pio animo recepi me errores omnes reuocaturum esse, primumque fore, qui pedibus conculcatos omnes libros in ignem missurus esset.

Ad hæc postulatum est, vt clarum & certum responsum darem, an palinodiã canere, vel ita firmiter in proposito perdurare velim? Hîc iterum Cæsareæ Maiestati atque illustrissimis vestris Dominationibus obedienter respondi. Conscientiam meã verbo Dei, quo in confirmandis meis vtar, ita obstrictam ac veluti captiuam detineri, vt ea illæsa Retractationem nullo modo suscipere queam, nisi hoc idem sacræ scripturæ testimonio me edocuissent.

His peractis, mihi quidam ex Electoribus Principibus, ac statibus sacri Imperij persuadere conati sunt, Vt mea scripta censuræ & iudicio Cæsareæ Maiestatis, & reliquorum ordinum sacri Imperij Romani subijcere velim & debeam, Id quod etiam Cancellarius Badensis & D. Peutingerus Augustanus po-

ſtea mecum egerunt. His iterum, vt antea, me hoc nequaquam ſubterfugiturũ eſſe dixi, modò vt certis & illuſtribus rationibus, ex verbo Dei petitis me conuictum, ad hoc informarent.

Poſtremò cum à me contendiſſent, vt ſaltem articulos aliquot ex libris meis decerptos, iudicio Synodi committerẽ, & ego me, vt aliàs ſemper obſequentem ac paratum ad peragenda atq; omittenda, quæcunq; in poteſtate mea ſita eſſent, oſtendiſſem.

Tandem ſumma controuerſiæ in hunc veluti articulum concurrebat, vt nulla ratione hanc æquiſsimam conditionem impetrare potuerim, quo videlicet verbum Dei liberum, ac minimè iudicijs humanis adſtrictũ permaneret. Deinde vt mea ſcripta Cæſareæ Maieſtatis atque ordinum S. Imperij Rom. ſeu futuræ alicuius Synodi ſententijs atq; decretis ea lege ſubijcerentur, ne quid contra ſacro ſanctum Dei verbum à me conceſſum, aut ab ipſis conſtitutum atq; dijudicatum videretur.

Teſtis enim mihi Deus eſt, qui omnium corda ſcrutatur, me cæteris in rebus omnibus, ſiue ſuſcipiendis ſiue omit-

tendis,

tendis, ex animo cupere Cæsareæ Maiestati debitam obedientiam præstare, nulla etiam habita ratione vel vitæ vel necis, gloriæ vel ignominiæ, commodi aut incommodi. Talibus conditionibus aliàs sæpè me astrinxi, & iam nunc me astringo. Neq; hîc vllam exceptionem nisi verbum Dei, præualere cupio, in hoc enim non solum hominis æterna vita, sed etiã Angelorum perpetua gaudia & lætitiæ consistunt. Huius autoritatem supra omnia ita euehi necesse est, vt prorsus nulli rei alligatum esse videatur. Neq; in alicuius hominis potestate situm est, vt flectere hoc pro arbitrio, vel seipsum huic anteferre possit, quantumuis opinione doctrinæ & vitæ sanctimonia excellat.

Hinc est quod diuus Paulus ad Galatas primo, bis exclamet, dicens: Si aut nos ipsi, aut Angelus è cœlo prædicauerit vobis Euangelium, præter id quod accepistis, anathema sit.

Et Psalm. 147. Nolite, inquit Propheta, confidere in Principibus, neq; in filijs hominum, in quibus non est salus. Imò ne quidem in seipsum quisquam spem aũt fiduciam ponere debet, dicente Salomone. Qui confidit in cor suum, stultus.

Et Ierem.

Et Ierem. 17. Maledictus, qui confidit in homine.

In corporalibus nego ijs cum non agitur de verbo Dei, aut bonis æternis, æquum est vt animus noster alterius fiducia nitatur, siquidem error & iactura talium rerum, quæ alioqui nobis sunt relinquendæ, nihil obsit æternæ saluti. Verũ in rebus diuinis & æternis ferre non potest nec vult Deus, vt in vno vel pluribus hominibus, sed in sola ipsius bonitate, corda nostra acquiescant, vt qui solus hanc gloriam & nomen vsurpare debet, quòd verax, imò & veritas ipsa sit, homines verò cuncti mendaces sint & vani. Id quod etiam Sanctus Paulus in Epistola ad Romanos præclarè docet, & meritò quidem, cùm illa fiducia, atq; hic assensus, Augustino teste, vera sit adoratio, & proprius cultus Dei, nulli prorsus creaturæ tribuendus.

Hinc est quòd Sanctus Paulus, neq; Angelum de cœlo, neq; seipsum, et procul dubiò neminem quoque Sanctorum siue in cœlo siue in terris dignum hac latria, hoc est cordis fiducia, vult reputari, Imò etiam tales execratur. Neq; etiam quisquam sanctus est, qui honorẽ istum ferret,

ferret, multò minus expeteret vnquam; Collocare etiam fiduciam cordis in hominem, quid obſecro aliud eſſe poteſt, quàm ex creaturis Idola conficere; & ſubſtituere ea in locum Dei creatoris?

Proindè veſtras Illuſtriſsimas Dominationes deditiſsimè rogatas volo, ne hanc meam excuſationem acerbius, aut ſuſpicione cuiuſdam diffidentiæ, ſed magis ex autoritate diuini verbi ſuprà à me allegati, æſtimare; & ſuſcipere velint, cui meritò nos omnes ſubijcere debemus. Quæ enim mea ſit obſeruantia atque ſingularis expectatio de veſtris Dominationibus vel hinc æſtimari poteſt; quòd ad præſcriptum & publicam fidem S. Cæſareæ Maieſtatis atque veſtrarum Dominationum coràm obedienter comparere voluerim; tametſi mei libri, paulò antè ab aduerſarijs in ignem coniecti fuiſſent; & multis in locis publicum edictum contra me & ſcripta mea, ſub nomine S. Cæſareæ Maieſtatis promulgatum fuiſſet. Quæ res profectò me miſerum exiſtentē Monachum ab inſtituto reprimere debuiſſet; niſi animus meus adeò firmam ſpem inſignis cuiuſdam clementiæ ac bonitatis, primùm in Deo; deinde in Cæſarea

Maieſta-

Maiestate, atque illustrissimis vestris Dominationibus fixam habuisset, & in hunc vsq; diem haberet.

Neq; tamen impetrari vllo modo à me potuit, vt scripta mea verbo Dei cõfirmata, voluerim abnegare, donec tandem isthinc ita discedere sim coactus, neque quidquam nobis in controuersia relinqueretur, nisi quòd erroneos articulos, quos in meis libris causabantur esse, noluerint scripturis diuinis conuincere aut explicare, imò ne quidem permittere, vel consentire, vel promittendo saltem spem aliquam facere quisquam voluit, quòd inspectio et iudicium de meis libris iuxta regulam diuini verbi fieri deberet.

Itaq; S. Cæsareæ Maiestati, atq; illustrissimis vestris Dominationibus pro exhibita beneuolentia & firmo præsidio publicæ fidei VVormatiæ mihi concessæ, & vsq; ad priuatam munitionem clementer seruatæ, quàm deditissimè gratias ago.

Deinde vestras Dominationes propter gloriam Dei iterum obtestor, vt benignis precibus me apud Cæsaream Maiestatem commendare, atque efficere velint, ne Cæsarea Maiestas me toties ad

iudici-

judicium ſacræ ſcripturæ piè & ſupplici-ter prouocantem, ab inimicis violari, infeſtari, perſequi aut damnari ſinat. Ego enim ſi conceſſerit mihi Cæſarea Maieſtas publicæ fidei ſecuritatem, adhuc offero me eadem obſeruantia coram doctis iudicibus, cuiuſcunq; tandem, ſiue eccleſiaſtici ſiue politici ordinis fuerint, modò ne ſuſpecti & aduerſæ parti plus æquo fauentes ſint, affuturum.

Deinde Cæſaream Maieſtatem ſacri Romani imperij ſtatus, Concilia, Doctores, & quoſuis alios, qui ſaniorem mihi doctrinæ rationem monſtrare velint aut poſsint, auditurum eſſe. Doctrinam & ſcripta mea ſententijs omnium ſubijcere, cenſuram atq; iudicium de ijs libenter admiſſurum eſſe. Neq; hîc quidquam niſi ſincerum, manifeſtum, & ſacroſanctum Dei verbum excipi volo, cuius autoritas vbiq; eminere, & iudicia omnium hominum meritò gubernare debet.

Non ſolum igitur mei cauſa, qui qualicunque ſim fortuna, nihil referet, oro, Sed propter publicam ſalutem totius nominis Chriſtiani. Quæ me res potiſſimum impulit, vt haſce literas ex itine-

re poſt

re post meum discessum remittere voluerim, Cupio enim ex animo, vt hac in parte Cæsareæ Maiestati, sacro imperio Romano, & vniuersæ Germanicæ Nationi consuleretur, atque ita fœliciter sub gratia Dei omnipotentis conseruaretur. Neque enim vlla vnquam priuata commoda, sed tantum gloriam nominis diuini, & communem Ecclesiæ Christi salutem quæsiui & adhuc quæro, vt maximè ab aduersarijs meis condemner. Si enim Christus Dominus & Deus meus pro suis inimicis in cruce rogare dignatus est, Quantò magis me pro Cæsarea Maiestate, vestrisque illustrissimis Dominationibus, pro sacri imperij Romani statibus, atque vniuersa Germanorum natione, charissimis meis Dominis & Magistratibus, de quorum clementia & bonitate (præsertim cum me vicissim quoque in tãtum submiserim) adeò firmam spem in animo conceptam habeo, cura affici, pia ad Deum vota facere atque orare conuenit?

His itaque me illustrissimis vestris Dominationibus summa obseruantia commendo, Et precor Deum optimum

maxi-

maximum, vt easdem vestras dominationes, ad communem salutem & consolationem nostram clementer conseruare velit, Amen.

Datum Fridburgi Dominica Cantate, Anno M. D. XXI.

Illustriss. Dominationum vestrarum

Obsequentiss. verbi Dei minister Martinus Lutherus.

CÆSARIS CAROLI V. LITERAE AD D. MARtinum Lutherum, quibus ad Comitia VVormaciensia vocatus est.

Carolus V. Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus &c. Honorabili, nostro dilecto, deuoto Doctori Martino Luthero, Augustiniani ordinis.

HONORABILIS dilecte, deuote. Quoniam nos & Imperij status nunc hîc congregati proposuimus & conclusimus propter doctrinam & libros, ali-

quandiu hactenus abs te editos. ſcrutinium de te ſumere, dedimus tibi ad ueniendum huc, & iterum hinc ad tuam ſecuram tuitionem, noſtram et imperij liberam, directam ſecuritatem & conductum, quam tibi circa hæc mittimus. Deſiderantes, vt velis te ſtatim accingere itineri, ita vt infra 21. dies in huiuſmodi cōductu noſtro nominatis omnibus modis hic apud nos ſis, & non domi maneas. Neq; vllam vel violentiam vel iniuriam timeas. Volumus enim te in præfato noſtro conductu firmiter manu tenere, & nobis perſuadere te venturum. In hoc namque facies noſtram ſæueram ſententiam.

Datum Vuormatiæ die 6. Martij, An. Dom. M. D. XXI. Regnorum noſtrorum, &c.



PHILIP-

PHILIPPVS MELANCHTHON AD AVDITORIVM Scholæ VVittebergensis, Anno 1546. De obitu Lutheri.

HAEC SEQENTIA D. PHIlippus Melanthon hora nona ante prandium, cùm conuenissemus ad auscultationem Epistolæ Pauli ad Romanos, publicè recitauit, commemorans, se hoc ex consilio aliorum dominorum facere, eam ob causam, vt nos admoniti de rei veritate (quia scirent multas fabellas hinc inde de morte Lutheri vagaturas esse) figmenta illa sparsa non amplecteremur.

OPTIMI ADOLESCENTES. Scitis nos suscepisse enarrare grammaticam explicationem Epistolæ ad Romanos, in qua continetur vera doctrina de Filio Dei, quam Deus singulari beneficio hoc tempore nobis per reuerendum patrem & præceptorem nostrum amantissimum, Doctorem Martinum Lutherum patefecit.

Verùm hodierno die tam tristia huc sunt scripta, quæ ita auxerunt dolorem meum, vt nesciam an poßim posthac in hisce scholasticalibus pergere: Hæc autem consilio aliorum Dominorum ideò volo

vobis commemorare, vt sciatis, quo modo res verè se habeat, ne vel ipsi falsa de hoc casu spargatis, neue alijs fabellis hinc inde (vt solet fieri) sparsis fidem habeatis.

Die Mercurij, qui fuit 17. Februarij, Dominus Doctor, paulò ante cœnam, cœpit laborare morbo vsitato, nempe oppreßione humorum, in orificio ventriculi (quo memini hic quoq; eum aliquoties laborare) hic morbus post cœnam recurrit, quo cum conflictaretur, petiuit secessum in cubiculum proximum: atq; ibi duas prope horas decubuit, donec dolores crescerent. Et cum D. Ionas in eodem cubiculo vnà dormiret, Dominus D. Martinus eum vocauit & excitauit, iußitq; vt surgeret, & curaret, vt pædagogus Liberorum Ambrosius calefaceret cõclaue, in quod cum ingressus esset, mox eò venit illustris Comes Albertus de Mansfeld, vnà cum coniuge, & multi alij quorum nomina hisce literis, propter festinationem, non sunt expressa. Tandem vbi finem vitæ adesse sensit, ante horam quartam sequentis 18. Februar. commendauit sese Deo hac precatione:

MEin Himlischer Vater / ewiger Barmhertziger Gott / Du hast mir deinen lieben Sohn / vnsern HErrn Jesum Christum offenbaret / den hab ich geleret / den hab ich bekandt / den liebe ich / vnd den ehre ich für meinen

meinen lieben Heiland vnnd Erlöser/ welchen die Gottlosen verfolgen/ schenden vnnd schelten. Nim meine Seele zu dir. In dem redet er in die drey mal.

In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Deus veritatis.

Also hat Gott die Welt geliebet/ etc.

His precibus aliquoties ingeminatis, à Deo in æternam Scholam & in æterna gaudia euocatus est, in qua fruitur consuetudine Patris, Filij, Spiritus sancti, omnium Prophetarũ & Apostolorum.

AH, Obijt Auriga & Currus Israel, qui rexit Ecclesiam in hac vltima senecta mundi: Neq; enim humana sagacitate deprehensa est doctrina de Remissione peccatorum, & de fiducia Filij Dei, Sed à Deo per hunc virum patefacta, Quem etiam à Deo excitatum vidimus fuisse.

Amemus igitur huius viri memoriam, & genus doctrinæ ab ipso traditum, & simus modestiores, & consideremus ingentes calamitates, & mutationes magnas, quæ hunc casum sunt secuturæ.

TE Fili DEI, crucifixe pro nobis & resuscitate Emmanuel, oro, vt Ecclesiam tuam regas, serues & defendas, Amen.

NARRATIO DE MORTE REVERENDI VIRI D. MARTINI Lutheri, vt ex hac mortali vita Christianissimè migrauit: à D. Iusto Iona, M. Michaële Celio, & alijs quibusdam qui interfuere, breuiter conscripta.



EVERENDVS DOMINUS D. Martinus Lutherus, vocatus à generosis Dominis & Comitibus à Mansfeld, die 23 Ianuarij VVitteberga profectus est, eamq́ noctem Bitterfeldæ egit.

Erat autem vocatus propter inueterata quædam inter ipsos Comites dißidia, quæq́ periculum videbantur allatura vniuersæ ditioni Mansfeldensi, ad quæ componenda tollendaq́ communi omnium consensu delectus fuerat. Idq́ eò magis, quod ex Islebia, oppido eius Comitatus, ortus esset. Ac tametsi mos eius non erat, ciuilibus negotijs implicare sese, sed docendo populo, legendo, scribendo, & alijs id genus officijs, quæ suæ vocationis erant, sedulò vacare solebat, vt vulgo notum est: tamen in gratiam

tiam patriæ suæ, à qua mala, quæ in ipsam ex hac discordia redundare poterant auerti, & Comites inter se reconciliari cupiebat, iter hoc suscipere non dubitauit, nihil veritus nec viæ labores, nec cœli asperitatem, nec insuetum eius negotij onus.

Discessit igitur VVitteberga in nomine Dei omnipotentis, eo quo diximus die, & Islebiam contendit.

Postridie hoc est 24. die Ianuarij circiter horam vndecimam ante meridianam Halam venit, & ad D. Iustum Ionam diuertit, vbi triduum commoratus, propter aquarum inundationem, die 26. quæ erat dies Martis proximus post festum Conuersionis Pauli, in diuæ virginis æde sermonem de illa conuersione ex Actis habuit. Vigesimo octauo Ianuarij Hala discessit, Cumq; cimba trans amnem veheretur, vnà cum Doctore Iona & tribus suis filijs, non sanè citra periculum, ad Doctorem Ionam dixit: Quam gratum censes futurum Diabolo, mi Doctor Iona, si ego Doctor Martinus cum tribus filijs in hoc torrente perirem? Atq; ita pergens in itinere, cùm ad fines peruenisset, à centum & tredecim equitibus exceptus, & Islebiam deductus est. Sed antequàm eò peruenisset, ægrotare cœpit, adeò vt iam de vita ipsius dubitaretur, sumpsit tamen cibum postea in diuersorio, cum Linteolis calefactus & fricatus, à dolore rursum liberatus esset: Quo cùm primum corriperetur, dixit: Ita plerumq; Di-

abolus adoriri & tentare me solet, quoties aliquid magni conor efficere.

Cæterum Islebiæ toto tempore inter 29. Ianuarij & 18. Februarij interiecto, ad transactionem Comitum diligenter accessit: Et præter id quater etiam concionatus est: Binis Dominicis de cœna Domini participauit: Priori absolutionem à ministro celebrante cœnam, publicè accepit: Altero, duos ipse quoq; ministros Ecclesiæ, iuxta ritum ab Apostolis obseruatum, ordinauit.

Multa etiam ijsdem diebus vtilia & consolationis plena in colloquijs ab ipso audita sunt, sæpè ætatis suæ recordatus, constituit, quieti se dare vbi VVitebergam redijsset. Sæpè ad mensam insignia quædam & longè dulcißima sacræ scripturæ loca coram Comitibus & nobis simul aßidentibus, explicauit, quæ suo tempore seorsim edentur.

Inprimis autem memorabile est, quod singulis diebus cœna peracta, circa horam octauam ex hypocausto maiori secedere solebat in alterum quoddam angustius, sibi peculariter aßignatum, Vbi ad fenestram inclinatus magno animi affectu satis prolixas ad Deum preces fundebat, quarum verba aliqua nos, D. Ionas, M Celius, Ambrosius ipsius minister, & Ioannes Aurifaber Vinariensis per silentium sæpè cum admiratione audiuimus. Inde ad nos rursum conuersus, hilari fronte, tanquam onere aliquo leuatus, colloquium nobiscum ad horæ

sextam

ſextantem ferè continuabat, atq; ita cubitum ſe conferebat.

Die decimo ſeptimo Februarij quæ erat Feria quarta eius ſeptimanæ, cum ab ipſis dominis Comitibus & nobis reliquis, rogatus eſſet, ne ante prandium ad cauſæ tranſactionem in maius hypocauſtum prodiret, ſed potius quiete vteretur, paruit, & in ſuo hypocauſto interdum in lectulo recubans, interdum deambulans preces dixit. Attamen ſub prandij ac Cœnæ tempus ad alterum hypocauſtum deſcendit, & in ſuo loco ſellaq; accubuit. Atq; ea Cœna (poſtquam proximè illi dies mortis illuxit) multa de morte et æterna vita futura grauiter dixit, quibus & hoc inter cætera adiunxit: Bone Deus, inquit, quàm breue temporis ſpacium comprehenditur annis viginti, atqui tantillo tempore ſi ceſſet maris & fœminæ conſuetudo, initio creationis à Deo inſtituta, mundum magna ex parte deſertum videas: Ita in tota rerum natura ſola creatio vim omnem obtinet. Etiam Eccleſiam ſuam ex infantibus potiſſimum Deus colligit: Sic enim iudico. Quoties puer vnius anni moritur, cum eo mille alios aut bis mille eiuſdem ætatis occumbere. At ego D. Martinus, annos iam natus ſexaginta tres, ſi modò decedam de vita, vix putem per totum orbem 60. aut 100. eiuſdem ætatis mecum decedere. Neq; enim homines longæuos hæc ſecula ferunt. Nos verò qui ſenes ſumus, ideò ad hanc ætatem perducimur, vt Diabolum nos ridentem, & clunes mon-

 ſtrantem

ſtrantem contemplemur, & multiplicē huius mundi malitiā, perfidiam, & miſeriam experiamur, quò certius teſtari & affirmare poßimus eum tam malignum ſpiritū fuiſſe. Eſt enim humanū genus perſimile ouili, in quo oues mactationi deſtinatæ includuntur.

In eadem porrò cœna D. Doctor etiam incidit in hanc quæſtionem: Num in futura illa beata & æterna Eccleſia ſe mutuò agnituri ſint homines?

De qua nobis obnixè rogantibus, ſuam ſententiam in his verbis expoſuit: Adam intuemini, inquit, Is Euam nunquam viderat, ſed profundo ſomno iacebat oppreſſus, cumq; excitatus eſſet, nō quærebat: Vnde tu venis? Quid es? ſed ita loquebatur:

Hæc caro ex carne mea, & os ex oßibus meis deſumpta ſunt. Vnde ergo ſciebat fœminam illam nō è ſaxo fuiſſe excuſſam? Inde nimirū quòd repletus Sancto S. in vera Dei agnitione permanebat: Ad eam agnitionem & imaginem in futura vita per Chriſtum reuocabimur. vt & parentes noſtros, & nos inuicem, etiam de facie certius agnituri ſimus, quàm inter ſeſe Adam & Heua.

Paulò poſtquam hæc locutus eſſet, ſurrexit, & in ſuum hypocauſtum aſcendit, comitatus duobus filÿs minoribus Martino & Paulo, cum M. Celio, cumq; feneſtræ pro more inniteretur, reuerſus eſt M. Celius, aſcenditq; ad ipſum Iohannes Aurifaber Vinarienſis, ad quem D. Doctor rurſum, inquit, vehementer torqueor circa pectus. Reſpondit Ioannes,

nes: memini, cum agerem pædagogum iuniorum comitum, in huiusmodi pectoris & alijs doloribus, matrem ipsis præbere cornu monocerotis: Si idem & tibi placeat, ibo, & petam. Annuente Doctore abijt, & antequam ad ipsam Comitem iret, Doctorem Ionam & M. Celium accersiuit, qui non multùm morati, mox ascenderunt: Iis aduenientibus itidem conquestus est de dolore pectoris. Protinus igitur calefactis linteolis (quo remedio domi solebat vti) ipsum fouimus & fricuimus frequenter, donec significaret, se meliusculè habere.

Mox & ipse Comes Albertus cum Ioanne festinus aduenit, adferens cornu vnicornis, & ad Doctorem ait: Vt vales charissime domine Doctor? Cui Doctor? Nihil est periculi, Clementissime Domine, iam incipio melius habere. Abrasit igitur Comes de cornu manu propria, quod ipsi daretur, & quia videbat leniri dolores, rursum discessit; relicto illic etiam Domino Conrado à Vuolframsdorff, præter D. Ionam, M. Celium, Ioannem & Ambrosium.

Petente autem Doctore, datum est ipsi cum vino derasum cornu in cochleari binis vicibus, sed prægustatum à domino Conrado à VVolframsdorff, quò minus ab eo sumendo abhorreret.

Deinde hora fermè nona recubuit in lectulo, sperans, si vel semihoram somnum capere posset, fore, vt omnis dolor sedaretur. Itaq; ad somnum compositus, suauiter dormiuit, vt fert natura sana et integra.

tegra: nosq; omnes, videlicet, D. Ionas, M. Michaël Celius, cum ministro Ambrosio, & vtroq; filio, Martino & Paulo, iuxta cũ nos tenuimus vsq; ad horã decimam: in cuius articulo ipso excitatus est. Cumq; nos vidisset, ait: En vos adhuc mecum? cur non abijstis cubitum? Nequaquam respondimus: iam nos vigilare, tuiq; curam habere decet. Surgens itaq; petijt proximum cubiculum hypocausto adiunctum, fenestris benè clausis ad prohibendum aëris ingressum. Cumq; limen transcenderet, quanquam dolore tum carebat: tamen Domino se commendabat his verbis: Quod benè vertat, nunc cubitum eo. In manus tuas Domine commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.

Erat ibi lectus benè instructus, & culcitris asseribusq; excalefactis, vt ratio temporis postulabat, tepidior redditus: in eum antequàm descenderet, porrecta singulis manu, fausta precatus est, hæc insuper addens: D. Iona, M. Celi, & vos cæteri, orate pro Domino Deo nostro & Euangelio eius, vt feliciter agat. Etenim Concilium Tridentinum, & fœdißimus Papa illi grauiter irascuntur. Manserunt ea nocte in eodem cubiculo D. Ionas cum duobus ipsius filijs, Ambrosius minister, & alij quidam. Nec iam lucernam tantum ardentem, vt præteritis viginti noctibus, sed etiam ignem in fornace hypocausti nutrierunt. Ipse verò Dominus D. placidè dormiuit, ita vt & spiritum duceret, qualem solent.

quos

quos naturalis somnus occupauit. Sub horam primam noctis euigilauit, vt vocato Ambrosio hypocaustum iußit calefacere. Caluerat id totam noctem, nec vnquam ignis defecerat: quare mox redijt minister. Tum rogauit D. Ionas, num morbum iam sentiret redeuntem? Respondit D. Martinus: O Deus, quàm crucior: Ah D. Iona, ego me in hac vrbe, in qua et natus & baptizatus sum, rursus etiam vitam relicturum esse credo. Ad hæc D. Ionas & minister Ambrosius: Reuerende pater, Deus pater noster cœlestis opem feret per Christum, quem tu prædicasti. Surrexit ille statim, & absq; ductore in hypocaustum è cubiculo transijt: atq; item, vt supra limen transgrediens, hæc verba dixit: In manus tuas Domine commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis. Dein facto vno aut altero spacio, in lectulum sese reclinauit, subinde querens, se pectoris cruciatus durißimos perferre, tametsi cor nondum esset affectum.

Iterum ergo corpus fricuimus, & puluinos omnes calefecimus: quod iam olim Vitæbergæ ita adsueuisset, & tum quoq; se hisce fomentis multùm iuuari diceret. Cæterum ante hæc omnia, quando primum in lectulum quiescendi gratia sese composuit: venit ilicò M. Celius è cubiculo suo, quod vicinum erat, & post eum Ioannes Aurifaber. Tū confestim etiam hospes, Ioannes Albertus, primarius vrbis scriba, cum vxore, et vterq; medicus excitati fuerunt, qui cum non procul inde habitarent, intra

quadran-

labant eum D. Ionas & M. Celius voce aliquantò elatiore. Reuerende pater: Nunquid in fide Christi, & ea doctrina, quam hactenus prædicasti, etiam moriens constanter perseuerabis? Respondit ille significanter & clara voce, Maximè. Mox conuersus in dextram, dormiuit fermè quatrantem horæ, ac si natura recuperatis viribus depulsura esset morbum: verùm & medici & plæriq; nostrûm iudicabant huic somno non esse fidendum: ideóq; admotis candelis, faciem eius diligenter obseruabamus. Dum hæc agebantur, commodùm veniebat generosus dominus Iohannes Henricus, Comes à Suartzenburg cum vxore sua. Nam paulo pòst & facies Dn. D. expalluit, & nasus pedésq; friguerunt: & mox altè petito suspirio, absq; cõcußione corporis, sed placida morte quieuit, vt ne digitum quidem vltrà mouerit. Nec à quoquam animaduerti potuit (quod coram Deo testamur per conscientiam nostram) ipsùm ringi, aut corpore torqueri, vllisuè mortis doloribus vexari: sed iuxta canticum Simeonis in pace suauiter per Dominum obdormiuit.

Atq; ita ipsius quóq; exemplo comprobata est veritas illius sententiæ, quam Ioannes Euangelista cap 8. à domino recitatam commemorat: Amen dico vobis, qui sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Quæ & ipsa postremum D. Lutheri chirographum fuit, quod Iohanni Gaßmanno quæstori Hansteinensi in principio Postillæ domesticæ scriptum reliquit. Vt solebat huiusmodi dicta

di dicta in Biblia & alios libros, eorum, qui id petebant, manu propria in sui memoriam describere.

Addiderat autem in eadem Postilla fidelissimus pater etiam explicationem eius sententiæ talem: Quòd Dominus ait: nunquam morietur: planè paradoxon est, & incredibile hominibus: quippe quod cum quotidiana experientia pugnare videatur. Atqui non aliter res habet: Qui enim verbum Dei toto pectore studiosè scrutatur, & vera fide complectitur: Si ita morte correptus indormiscat: decedit atq; aufertur ex hac vita, antequàm mortem ipsam vel viderit vel senserit, nec dubium est, quin hoc verbo seruetur, in cuius meditatione & fide decessit. His verbis subscriptio hæc addita erat: Martinus Lutherus D. 1546. datum die 7. Februarij.

Verùm vt ad rem redeamus: Doctore Martino in domino, ita vt diximus, defuncto: quamuis et Comites, Dominus Albertus, & Suuartzenburgensis, cum vxoribus suis, & nos reliqui hoc tàm subito casu exanimati essemus: ea tamen omnium erat sententia: à frictionibus, fomentis, alijsq; medicorum axilijs nondum esse discedendum. Cum autem ijs omnibus nihil proficeretur: sed corpus magis magisq; rigens, nihil nisi mortem præ se ferret: in eo lectulo relictum fuit immotum ad horæ dodrantem. Interim alius lectus iuxta illum ex pluribus culcitris plumeis cõstratus est, eiq; corpus impositum, spe

reditura animæ: vt quidem à Deo clementissime communibus votis omnes precabamur.

Erat iam hora quarta antelucana, quando interuenit etiam illustris Princeps, Dn. VVolffgangus Princeps in Anhaldt: & cum eo generosi Comites ac Dn. Philippus, Iohannes, Georgius fratres, Vuolradus, Ioannes, Vuolfgangus itidem fratres, omnes Comites Manßfeldenses: aliiq; complures nobiles & clari viri. Postea & alij multi eius ciuitatis viri honestiss. corpus mortuū inuiserunt, et luctu multisq; lacrymis prosecuti sunt. Hora 9. demum stola noua alba, quam Sueuicam vocant, vestitum corpus, in cubiculum translatum & in sponda stramine subiecto repositum est: donec in capulo, ex stanno confecto, reconderetur. Ibi rursus à quamplurimis equestris ordinis, & aliquorum vtriusq; sexus hominum aliquot centurijs visum, & à plerisq; agnitum est. Mansit autem reliquum eius diei in ædibus D. Trachstadij.

Postridie, hoc est, die 19. Februarij, hora pomeridiana funus Christiana cum solennitate, & Ecclesiasticis cantionibus in templum D. Andreæ, eius loci augustißimum, deportatum est. Deduxerunt illud principes aliqui, & comites: inter quos fuit etiam Comes Gebhardus, cum duobus filijs Georgio & Christophoro: aliiq; multi proceres, cum magno cœtu nobilium matronarum: deniq; & plebeiorum hominum ingens multitudo.

Ibi tum simul ac in anteriore templi parte feretrum in humum demissum fuit: D. Ionas orationem

funebrem habuit ex loco quarti capitis Epistolæ prioris ad Thessalonicenses: quæ statim ex ore ipsius excepta & descripta est.

Dixit autem primum de persona D. Martini, & donis ipsi à Deo singulariter collatis. Deinde de mortuorum resurrectione, & vita æterna. Postremò quid portenderet huius viri mors aduersarijs nostris, & Satanæ regno. His finitis discessum est, relicto corpore defuncti in templo, cum decem ciuibus, ad custodiendum ipsum per noctem adiunctis.

Quamuis autem Comites Mansfeldenses Lutheri corpus retinere, & in sua ditione sepeliri cuperent: Tamen cum id Dux & elector Saxoniæ Vuittebergā reduci postulasset, ipsi gratificari maluerunt. Itaq; Sabato post natalem S. Valentini, qui erat dies vigesimus Februarij, matutinam concionem habuit M. Michaël Celius, ex dicto Esaiæ cap. 56. Iustus perit, et nemo considerat. Deinde post horā duodecimam meridianam congregati sunt ijdem Principes, Comites, Matronæ nobiles, quos supra nominauimus, & cum illis magna plebis multitudo: qui omnes eadem solennitate & pompa, qua antea, funus rursum è templo per vrbem deduxerunt, extra portam vsque, non sine maximo luctu. Id deinde auectum, eo die Halam perlatum est.

Sed ante hæc duo pictores defuncti faciē deliniarunt diuersis temporibus. Primus, dum adhuc in lectulo iacebat, quo paulò ante vitam fini-

 uerat.

uerat: eratq; hic Islebiæ ciuis. Alter postridie cum iam noctem vnam in capulo fuisset inclusus. Is Halensis erat nomine Lucas Fortennagel.

Cæterum, cum Halam veheretur, ex singulis pagis, viæ propinquis, agricolæ ad nolæ sonum cum vxoribus & liberis accurrerunt, animi dolorem minimè fictum præ se ferentes.

Deinde sub horam quintam vesperi, cum iam ad vrbem propius accederetur; Egressi multi ciues & matronæ per viam lapidibus stratam longo itinere funeri obuiam processerunt. Tandem vbi ad portam ventum est, occurrerunt duo parochi Ecclesiarum D. Vdalrici, & D. Mauricij, cum reliquis eius vrbis Diaconis & Euangelij ministris. (nam D. Ionas superattendens tum inter eos erat qui funus comitabantur) Hos secuti sunt plerique omnes ex Senatorio ordine. Deinde Ludimagister, cum vniuersis suis dicipulis, more consueto cantiones funebres decantantibus Vulgus autem promiscuum ad exteriorem portam magna frequentia nos excepit. Erant in ea turba viri boni quamplurimi, & honestæ matronæ: Virgines item, & adolescentuli piè instituti: ij omnes vna lamentationes suas & plangores acerbißimos vsq; adeò intendebant, vt à nobis quoq; qui in extremo curru vehebamur, exaudirentur. Sub portis, & in ponte: deinde iterum iuxta D. Mauricij in vico, qui ad forum antiquum ducit: ita a turba viæ obsessæ, & currus nostri arctè cincti fuerunt, maximeq; ille, quo

Lutheri

Lutheri corpus vehebatur, vt sæpius subsistendum nobis fuerit, eoq; ad ædem D. virginis vix ad mediam septimam peruenerimus. Vbi cum essemus: tota multitudine psal. qui incipit: De profundis, non tam cantatus, quam fletu & verbis singultu interruptis, expressus est. Fuisset etiam sermo factus ad populum: Sed quia iam serò erat, corpus illicò in sacrarium, adiuncta custodia, repositum fuit. Proxima sequente Dominica quæ erat 21. Februarij, ad horam sextam matutinam, quando rursus auehebatur funus: Senatus, Concionatores, Scholastici, cum eadem solennitate & Ceremonijs illud extra vrbem deduxerunt, quibus priori die exceperant. Cumq; sub meridiem eius diei Bitterfeldam ventum esset: in vicinis eius ditiōis terminis D. Erasmus Spiegel præfectus VVittebergensis, Gangolfus ab Heilingen Diebensis, Theodoricus à Taubenheym Brenensis, missi à Duce Saxoniæ, Electore, Domino nostro clementissimo, decenti reuerentia & Christianis ceremonijs Comites, & nos reliquos, qui funus sequebamur, exceperunt, deinde à prandio Kembergam deduxerunt. Fuerunt autem hi Comites generosi Domini, Ioannes, & Ioan Hoyerus, vterq; Mansfeldensis: qui cum equitibus armatis circiter 45. inde vsq; ab Islebia funus comitati sunt: & postero die Lunæ, id est, 22. Februarij VVittebergam deduxerunt, vbi cum ad portam à Pica fluuio denominatam peruenerunt: repererunt congregatos ex mandato Principis Electoris, Dominum Recto-

rem, Doctores, Magistros, & omnem vniuersitatis comitatum, cum Senatu, & toto populo. Continuò praecesserunt Euangelij ministri cum Scholasticis, vsitato ritu & ceremonijs, Christianas cantilenas per totam illam viam vsq; ad templum arcis funeri praecinentes.

Proximè ante funus equitarunt praefecti. quos supra diximus à Principe funeri obuiam missos fuisse, deinde Comites, cum suis equitibus: tum quadriga, supra quam defuncti corpus positum erat: quam statim in humiliori vehiculo secuta est coniux ipsius Catharina, cum alijs quibusdam matronis: Inde tres filij, Ioannes, Martinus, Paulus Lutheri: Item ipsius frater Iacobus Lutherus ciuis Mansfeldensis: Georgius ac Cyriacus Kauffmanni ex eadem ciuitate, sororis filij, & alij ipsius propinqui. Hos secutus est magnificus Dn. Rector inclitae illius vniuersitatis: & nonnulli principum, Comitum, ac Baronum filij, literarum gratia eò profecti. Deinde D. Georgius Pontanus, D. Philippus Melanchthon. D. Iustus Ionas: D. Pomeranus, D. Casparus Crucigerus: D. Hieronymus: & caeteri grandaeuiores eiusdem ordinis: Inde reliqui Doctores & Magistri: tum Senatores omnes: Postea studiosorum caetus florentißimus: ac ciuiū vniuersum agmē. Postremò maxima turba mulierum, matronarum, virginum, puerorum, qui omnes huius viri mortem grauiter lugebant, et lamētabili voce deplorabant.

Incredibile est quanta hominum turba, quamque

que confertim, in foro & omnibus vicis tam breui temporis spacio confluxerit. Multi certè affirmabant se tantam multitudinem Vuitteberga nunquam vidisse. Porrò Lutheri corpus in templum arcis deportatum, ex aduerso suggesti collocatum est, deinde præmissis funebribus quibusdam cantionibus venerabilis D. Pomeranus suggestum ascendit, & coram aliquot millibus ibidem auscultantibus, dulcissimam & valde piam concionem habuit, quæ sequentibus pagellis exponitur. Pomeran

Hac finita: D. Philippus Melanchthon habuit funebrem orationem, quæ & ipsa hoc libello continetur; tum vt affectum & luctum suum testaretur: tum vt Ecclesiæ dolores mitigaret.


His ita peractis: Magistri quidam, viri docti, & ad id officium delecti, defuncti corpus in sepulchrum demittentes quieti dederunt. Atq; ita in arce Vuittebergẽsi iacet terræ mandatum corpus reuerendi patris D. Mar. Luth. præstantiss. spiritus sancti organum: iacet autem prope suggestum, in quo tot præclaras & sanctas contiones in præsentia ducum & electorum Saxoniæ, totiusq; Ecclesiæ antè habuerat. Iacet, inquam, seminatus in infirmitate, vt in illo die resurgat in potentia: vt Apost. loquitur, Cor. 15.

Deus æternus, & pater noster cœlestis, qui hunc D. Martinum ad tam arduam functionem vocauit, & dominus noster Iesus Christus, quem idem constanter prædicauit ac confessus est, & spiritus S. qui eidẽ singularem animi fortitudinẽ & alacrita-

tem: in multis contra Papam & omnes inferorum portas grauissimis certaminibus per diuinam suam potentiam largitus est: nobis quoq; omnibus æquè pium & Christianum præsentis vitæ exitum, & ad æternam fœlicitatem ingressum concedat, Amen.

Nos suprà nominati D. Iustus Ionas, & M. Michaël Celius, & Ioannes Aurifaber Vinariensis, qui reuerendo patri piè fœliciterq; morienti adfuimus: idq; ab initio morbi vsq; ad vltimum spiritum hæc omnia testimonio nostro coram Deo confirmamus: & conscientiam nostram per mortem, quam singuli expectamus, testamur, nos hæc aliter non audiuisse, aut vidisse, vnà cum Principibus, comitibus, alijsq; magnatibus, ac omnibus qui interfuerunt: quàm hîc commemorauimus: nec aliter commemorasse, quàm reuera singulis locis ac temporibus gesta sunt. Deus pater Domini nostri Iesu Christi gratiam & misericordiam suam omnibus nobis clementer impertiat, Amen.

Τέλος.



Pia

PIA ET CHRISTIANA CONCIO, HABITA IN FVNERE REuerendi patris D. Martini Lutheri, à Ioanne Bugenhagio Pomerano, Doctore, & Parocho Vuitæbergensi.

1. Thessalon. 4. Ita scribit Apostolus Paulus:

CAETERVM NOLO vos ignorare, fratres, de ijs qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum & cæteri, non habentes spem: Nam si credimus quod Iesus mortuus est & resurrexit: Sic & Deus eos, qui obdormierunt per Iesum adducet cum illo.

SCio quidem, charißimi, officij mei esse, vt hic iuxta sepulturam D. Martini, patris nostri dilectißimi, ad vos verba faciam: neq; id inuitus suscipio. At verò quid dicam? aut quomodo? cum præ fletu non rectè loqui poßim? Quis autem vos consoletur, si ego concionator, & parochus vester obmutescam? aut quomodo vobis relictis, aliò me auertam,

 uertam,

uertam? nihil dubito, quin hæc mea oratio plures lacrymas prouocatura, maiorisq́ mœstitiæ causa futura sit. Quidni enim ex animo doleamus in tanta calamitate, qua nos dominus afflixit, ablato incomparabili viro D. Martino Luthero? per quem nobis omnibus & vniuersis Christi Ecclesiis, tum in Germania, tum in multis exteris nationibus incredibilia gratiæ suæ dona largitus est: per quem etiam contra regnum Satanæ, contra multas nefandas Idololatrias, cōtra humanas traditiones, seu potius doctrinas Satanæ (vt à Paulo vocantur) in toto orbe terrarum victoriam magna cum laude sibi acquisiuit: per quem nobis in Euangelio suo summum illud, & cœleste mysterium (hoc enim nomine Apostolus vtitur ad Ephesios & Colossenses scribens) Iesum Christum, inquam, filium suum dilectum reuelauit: per quem Christus ipse contra Papam, ac multas alias hæreses, contra Tyrannos, atque ipsas etiam inferorum portas, Euangelium suum defendit: cui deniq́ viro, ac patri nostro benignissimo Dominus dedit Spiritum potentiæ & roboris, quo confirmatus, nullam humanam autoritatem reformidauit, quòminus liberè & magno animo puram Euangelij doctrinam propugnaret, adeò vt sapientibus huius mundi videretur immodicus, ac nimis asper in reprehendendo ac pugnando. Nec mirum, cum & Christus ipse à virulentis illis viperis, Iudæis ac Pharisæis, ob eandem causam accusatus fuerit: quippe, qui indignè ferebant, se redargui, licet

manifesta

manifesta & confessa esset ipsorum malitia. Vnde nec salutarem eius doctrinam postea recipiebant.

Tantum ergo Doctorem ac Prophetam, seu potius reformatorem Ecclesiæ à Deo missum, cum eodem eripiente rursum amiserimus: ah qui fieri potest, vt à lacrymis & planctu nobis temperemus? qua ratione facile nobis fuerit obtemperare diuo Paulo, monenti hoc loco, ne tristemur propter eos, qui obdormierunt? Quanquam idipsum ab Apostolo non absq; distinctione dicitur: siquidem addit: sicut cæteri non habentes spem. At nos, qui sumus fideles, scimus eos, qui in Christo obdormierunt, ad vitam longè beatiorem resuscitandos esse: in qua & nos cum illis rursum congregati, mutua consuetudine in æternum fruemur.

Cæterum mundus indignus fuit diuturniore huius præstantissimi viri præsentia: vt qui eum tantum calumniaretur, ac persequeretur. Quanquam interim negari non potest, hunc ipsum mundum, quantumlibet ingratum, ipsius ratione multa commoda cepisse: hac maximè in re, quòd à grauissimo iugo & Tyrannide scelestissimi Papæ liberatus est. Quin & ex ipsis aduersarijs, qui saniores sunt iudicij, optarent illi longiorem vitam fuisse concessam.

Hæc præfari volui, vt sciatis, nos causam non leuem habere ex animo lugendi, accepta tri-

stissima

ſſima clade tam excellentis viri. Nec profectò ſoli nos lugemus: ſed certum eſt (ſi cui fortè ad rem facturum id videatur) multos Reges, Principes, aliaſq; Reſpub. Chriſtianas et quicunque tandem Euangelicam veritatem agnouerunt nobiſcum in mœrore eſſe: vt hic ſqualor & luctus noſter multis millibus in Chriſtiano orbe communis ſit. Rurſum Papam, Cardinalem Moguntinum, Ducem Hēricum, huius viri necem ſedulò votis omnibus quæſiuiſſe non eſt dubium: ſiquidem eos grauiter irritauer : ver mnon contigit illis, vt de morte ipſius ita vt optaſſent, ſibi gratulari potuiſſent. Nec erit (vt ſpero) diuturnum gaudium, quo nunc ob eius caſum aduerſarij fruuntur. Nam tametſi corporale abeſt, tamen ſaluberrima, potentiſſima, planeq; diuina doctrina, quam in lucem nobis reuexit, adhuc viget. & magna vi dominatur.

Quòd ſi meam de ſancto iſto viro ſententiam, ſcire vultis: Iudico ipſum per angelum ſignificatum eſſe, de quo Ioannes cap. 14. ita ſcripſit:

ET vidi alterum angelum volantē per medium cœli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret habitantibus ſuper terram, & omni genti, & tribui, & linguæ, & populo, dicentem magna voce: Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum, qui fecit cœlum et terram, mare, & fontes

tes aquarum. Et alius angelus secutus est dicens: Cecidit Babylon ciuitas illa magna, quia à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes. Hic angelus clamans & exhortans, vt Deum timeant, & honorem ipsi adferant, fuit D. Martinus Lutherus, quæq; hîc legimus: timete Deum, & honorem ipsi exhibete: duæ partes sunt doctrinæ, quam professus est: Lex, scilicet, & Euangelium, quibus tota sacra scriptura aperitur & Christus iusticia nostra & vita æterna intelligitur. Adiunxit etiam tertium, quod hoc loco dicitur: venit hora iudicij eius. Et quartum de vera inuocatione Dei patris cœlestis in spiritu & veritate: vt idem angelus clamat: adorate eum, qui fecit cœlum & terram, &c.

Post hunc iam sequetur alius angelus, qui miseræ & afflictæ Ecclesiæ consolationem & gaudium annunciabit: aduersarijs verò fulmina, & ignem æterni judicij & condemnationis. Sic enim sonant verba alterius angeli: Cecidit, cecidit Babylon ciuitas magna, &c. Ex quibus colligo nostram calamitatem aduersarijs nō diu voluptati futuram esse, id quod & Christus confirmat Ioan. 16. mœror vester vertetur in gaudium. Et videmus

alterum

alterum præcesſiſſe, imò adhuc eſſe in vigore, quod prædictum eſt in Apocalypſi: Quare ſi quid hic liber habet veri: ſequetur haud dubiè & alterum.

Verùm ego in hoc luctu noſtro longius digredior, quàm volebam. Sufficiant igitur hæc ad oſtendendum, quòd iure & cum magna cauſa doleamus. Nam omnino iuſtum eſt deflere mortem viri tam præclari, veri Epiſcopi, & animarum paſtoris vigilantiſſimi.

Sed interim nos decet etiam bonitatem & miſericordiam diuinam diligenter perpendere, & pro ea gratos eſſe: nimirum, quòd hunc præſtantiſſimum D. Martinum Lutherum, contra Antichriſti, hoc eſt, ſpurciſſimi & diabolici Papæ, & omnes Satanæ doctrinas, excitatum nobis dedit, ſtatim poſt elapſum annum centeſimum à morte ſancti viri Iohannis Huſſ: Is enim antequam propter veritatis confeſſionem combureretur, Anno. 1415. de venturo cygno vaticinatus eſt. Nam cùm Huſſ lingua Bohemica ſignificet anſerem, dixit: modò anſerem torretis: ſed excitabit Deus cygnum, quem non poteritis torrere, nec cremare. Cumque interfectores magnis clamoribus ipſi obſtreperent, vt reſpondere non poſſet, dixiſſe fertur: poſt centum annos vobis reſpondebo. Id quod egregiè certè præſtitit per Reuerendum patrem noſtrum Doctorem Lutherum, qui altero & centeſimo anno poſt illum miniſterium ſuum cepit. Quòd ergo tantum

virum

virum Deus nobis et Ecclesiæ suæ conseruauit in tot acerrimis contentionibus & pugnis, quodq́; per eundem annis iam fermè 30: Christus toties triumphauit, profectò gratias Deo debemus: cui cum filio suo Domino nostro Iesu Christo laus sit & honor in sempiternum, Amen.

Est præterea quod gaudeamus vnà cum reuerendo patre D. Luthero: puta, quod in hac Apostolica & Prophetica, summa certè functione, in qua officium suum dextrè ac fideliter obiuit, constitutus ex hoc mundo, & societate nostra euocatus, & ad Dominum Christum translatus est. Vbi sancti Patriarchæ, Prophetæ Apostoli, & plurimi eorum, quibus et ipse Euangelium annunciauit, cum vniuersis sanctis angelis, & Lazaro in sinu Abrahæ, hoc est, in æterno fidelium gaudio, congregati sunt. Sed eius fœlicitatis conditio quæ sit hoc tempore, vsq; ad nouissimũ diem: nos quoq; posthac experiemur. Certè Paulus ad Philip. illam optat, inquiens: Cupio dissolui; & esse cum Christo. Et in Actis D. Stephanus orat: Domine Iesu, suscipe spiritũ meum. Et ipse Christus ad latronem ita loquitur: Hodie mecum eris in paradiso. Nam quemadmodum spiritus Christi fuit in manibus patris vsq; ad diẽ Paschatis, ab eo tempore, quo clamauit, Pater in manus tuas commendo spiritũ meum: ita haud dubiè & nostri spiritus post decessionẽ ex hac vita in manibus Christi requiescent vsq; ad resurrectionem nostrã. Sic.n. dicitur de Lazaro: nunc aũt hic solatio

fruitur

fruitur: tu verò cruciaris. Quæ sit autem illa requies, aut quæ consolatio fidelium: quæ contrà molestiæ, qui cruciatus impiorum, vsq; ad illum diem, non satis apertè scriptura describit. In verbis Apostoli ad Theſſ. supra recitatis audiuimus eos vocari dormientes: vt igitur in hac rerum natura, qui sani sunt, dum dormiunt, suauiter requiescunt. vnde corporis quoq; vires resocillantur & confortantur, rursum quibus ægrè est siue corpore, siue animo & potissimum ij, qui mortis terroribus obruuntur, horribilibus somnijs vexati tumultuosius dormiunt, nec inde recreantur, sed magis, quod vigilantes defatigantur & languescunt, ita etiam interesse iudico inter hunc Christi fidelium, & infidelium somnum. Verùm de his planius loqui, aut aliud quippiam ratiocinari quàm in verbis sacræ scripturæ continetur, nostrum non est. Reuer. pater D. Martinus Lutherus, iam adeptus est, quod multo tempore desiderauit. Quòd si ad nos reditus ipsi pateret: haud dubiè animi nostri dolorem & deiectionem his Christi verbis, quæ Ioan. 16. habentur, redargueret: Si me diligeretis, gauderetis vtiq;, quia vado ad patrem, & mihi gratularemini hanc æternam lætitiam & tranquillitatem. Quid est enim, cur animos despondeamus, cum Christus mortem nobis deuicerit? Et nunc mors corporis initium nobis est æternæ vitæ per Iesum Christum Dominum nostrum, qui se nobis victimam sanctissimam & Deo gratissimam præbuit.

Memini

Memini reuerendum patrem, si quando videbat aliquem in confeßione Christi placidè expirantem, ita precari solitum: Det mihi Dominus, vt æquè quieta morte obdormiscam in sinu Christi, nec diuturnis cruciatibus affligar: veruntamen fiat, quod Deus voluerit.

Præcesserunt autem & signa, præsagientia quodammodo hunc patrem nostrum charißimum D. Martinum, in beatiorem vitam ex hac migraturum esse. Iam enim annus integer est, ex quò cœpit aliò cogitare, & sæpißimè nobis dixit, se cupere mutare locum. Et quidem peregrinatus est hoc anno sæpius, quàm multis superioribus. Fecit iter in patriam Mansfeldam, ad Episcopum Zeizensem, Merseburgam, Halam. Ex quo tanquam vaticinio colligi poterat, confecturum eum & hoc felicißimum iter, quod est ad vitam æternam. Atq; ita accidit vt tandem apud generosos dominos, Comites Mansfeldenses in ipsa vrbe, qua natus ac baptizatus fuit, ex hac vita migrauerit, suiq; voti compus factus sit, nisi quòd fortaßè maluisset apud nos, & vxorem, ac liberos suos finire vitam: sed aliter visum est Deo.

Fuit in hac Vuittebergensi Academia M. Ambrosius Bernardus Iuterbocensis, quem ego vt fratrem diligebam: vir integerrimus, & Christi amantißimus. Is cum diebus aliquot ante mortem grauiter decumberet: ita tamen ei sensum ægritudinis ademerat Deus clementißimus, vt iam tum

in alia vita versari videretur. Itaq; nobiscum loquebatur de rebus lætis, & pollicebatur se nos inuisurum, vt hilarem se faceret: quàm ægrotaret, ac morti vicinus esset, non meminerat.

Hic procul dubio mortem non videbat, vnde nec metuebat, imô iam reipsa in hac vita non amplius erat. Nam tùm solum, cum de Christo mentio fiebat, aptè, & ad rem respondebat, liberè veroq; animo confitens immensam gratiam ac salutem, à cœlesti patre per illum nobis donatam. Amabat enim Christũ, & frequenter orabat, Deumq; in spiritu & veritate inuocabat. At postea quando de coniuge & liberis charissimis, pecunijs, ære alieno ac re familiari interrogabat, vt qui iam ad se rediÿsse videbatur: rursum mente destituebatur, & in alio mundo quasi peregrinabatur. Etsi enim nouerat omnes nos, & nominatim singulos appellabat: sermo tamẽ eius à nostro planè diuersus erat, plenus festiuis iocis, & ad risum tantum comparatus. Ignoranti morbum potuisset videri sanus & integer, quiq; ideò tantum lectum premeret quôd nihil haberet negocij. At Dominus Iesus in his ipsis imaginationibus eum ex hac vita ad se auocauit: ita tamen, vt in confeßione Christianæ fidei constans perstiterit.

In cæteris mortuus erat mundo. diebus aliquot antè, quàm expiraret. Neq; enim quicquam erat rerum terrestrium, cuius aliqua cura teneretur amplius.

Exciderant animo omnia, adeò vt nec morbum

suum

suum intelligeret, nec de morte quicquam sollicitus esset. Quomodo enim metueret, siue mortem siue peccatum, qui nihil eorum videbat?

Ita manifestò vidimus in ipso quoq; nobis ante oculos oppositam veritatem verborum Christi, Iohan. 8. Si quis verba mea seruauerit, mortem nō videbit in æternum. Quanquam autem non omnibus Christifidelibus contingit hoc tam lene genus mortis, sed multi inter acerbißimos dolores extinguuntur, sicut & ipse Dei filius, in cruce moriens: tamen ad omnes illos hæc Christi verba pertinent, & in ipso mortis articulo vitam, non mortem ante se cernunt: Ideoq; singuli cum Christo orant: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Eadem precatione dulcißimus pater D. Martinus vitam suam clausit, & à Dn. nostro Iesu Christo ex his ærumnis extractus, ad eundem assumptus est: cui sit laus & gratia in omne æuum, Amen.

Sed ad Magistrum Ambrosium redeo: eum cum etiam somni beneficio vi morbi priuatum viderem: è medicis petebam, vt ipsi potionem somniferā preberent satis validam. Illi verò respondebant, id periculosum esse: & in se culpam translatum iri, si malè cederet. Quibus ego in me, inquam, recipio: etiam si moriatur, ego factum præstabo: vos illi, tanquā desperato, in nomine Dni. id medicamentū propinate: fieri potest, vt inde sanitatē recuperet. Persuasi, medici potionē ipsi præbebant: sed minus potentē, quàm ego postulaueram. Ille tamen somno corri-

piebatur profundissimo, quem continuabat ad horas duas. Dein experrectus, sentire ac deplorare ægritudinem suam incipiebat: cum vxore de multis necessarijs rebus prudenter ac sobriè loquebatur. Sed antequã sesquihoræ effluxisset, ad priores cogitationes et iocos redibat, atq; illis occupatus, deinceps præsentia omnia negligebat, donec post dies aliquot spiritum suum Christo traderet.

Hanc piam ac iucundam historiam de M. Ambrosio libens, & data opera hoc loco recitaui, tùm vt animos vestros, auditores charissimi, à præsenti dolore & luctu paulùm auocarem: (habemus enim profectò, quod meritò doleamus: afflixit nos Deus: idem nos rursum consoletur per gratiam suam:) tum quòd eadem historia ad hanc propositionem, in qua nunc versamur, optimè quadrat.

Erat autem hic Ambrosius Doctoris Martini affinis, quæ causa erat, quòd ab eodem crebrò inuisebatur. Et vt supra dixi, quoties D. Doctor de Christo verba faciebat: Idem & Magister Ambrosius faciebat. Idq; prorsus iuxta doctrinam Euangelij. Quando verò Dominus Doctor ad ipsum de coniuge, liberis, fortunis, & id genus negotijs loquebatur: Ambrosius horum omnium oblitus, mox ad sua deliramenta reuertebatur, & aliquas festiuas cogitationes proferebat. Memini quodam tempore, cum D. Doctor domum rediturus esset ipsum arridentem illi gratias agere his verbis: Ago tibi gratias, D. Doctor, quòd me inuiseris: ego aliquando te vicissim inuisam sub vesperum, vbi hila-

riter vnà comessabimur, & de quamplurimis rebus iucundissimis vnà colloquemur. Id fortasse nunc expedient in æterna vita, ad quam vterq; commigrauit: in hac vita non potuerunt illa ratione conuenire. Cæterum digrediens ab ipso D. Martinus, ad me dicebat: Iam actum est de isto homine: de morte nihil nouit: Nos illi consilia quærimus de rebus suis componendis, quas iam paruipendit. Quin facetus & hilaris, gaudia & amœnitates suas, quas in animo habet, nobis opponit, nimirum ridet nos, quasi dicat: Quid mihi loquimini de rebus terrenis, quæ, quomodo disponantur, aut curentur, mea nunc parum refert. Vtinam & mihi à Deo propediem contingat ita placida & auspicata moriendi hora: cui enim vsui posthac esse potero in terris?

Porrò, anno 1542 mense Ianuario sepeliebatur M. Ambrosius, nec multò post, cùm mecum D. Martinus præteriret sepulchrum, manu eò monstrabat dicens: hic nesciebat se mori, nec tamen carebat vera Christi confessione, isthic positus est, & ne nunc quidem scit se mortuum esse. Mi Domine Iesu Christe. aufer & me simili modo ex his miserijs.

Istiusmodi voces sæpè non absq; magna molestia ab hoc charissimo patre meo audiui. Et si quando animi mei dolorem ex gestibus, interdū etiam ex verbis meis percipiebat: itidem dicebat: Roga quæso Dominum Deum nostrum vt me hinc ad se breui transferat: in mundo non sum amplius vsui: mea præsentia vobis non amplius confert.

 Adiuua

Adiuua vota mea tuis precibus, & noli orare, vt diutius superstim. Ad hæc quid ego dulcißimo patri meo Doctori nostro reuerentißimo responderim, quiuis facilè coniecerit.

Hæc autem omnia eò commemoraui, vt intelligatis, quanto desiderio vir ille ingrauescente iam ætate, cupiuerit liberari ex huius vitæ ærumnis & esse cum Christo. Et quidem in eodem desiderio cecinit suum consummatum est: & spiritum suum in manus Dei patris cœlestis commendauit. De qua re pauca hîc addam, vt & vos, amicißimi noueritis, quàm fœlicem & optabilem vitæ finem sortitus sit reuerendus pater Doctor Martinus. Cum enim sensisset iam propè esse horam extremam, in hunc modum orauit: O mi pater cœlestis, Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi qui Deus es omnis solatij: ago tibi gratias, quòd mihi dilectū filium tuū Dominum nostrum Iesum Christum patefecisti: in quem credo: quem prædicaui atq; confessus sum: quem etiam amore & laude prosecutus sum: quem eundem turpißimus Papa, & omnes contumelia afficiunt, persequuntur ac blasphemant. Te precor Domine IESV CHRISTE, vt tibi commendatam habeas animulam meam. O pater cœlestis, tametsi aliter fieri non potest, quàm vt relicto corpore, ex hac vita abripiar: tamen certus sum, me tecum in æternum mansurum esse: nec è manibus tuis à quoquam eripi posse. Deinde hæc verba tertiò repetijt: In manus tuas tibi Domine commendo spi-

do ſpiritum meum: redemiſti me Deus veritatis. Item illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum filium ſuum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Inde complicatis manibus, ſpiritum ſuum Chriſto placida morte reddidit: id quod ipſi congratulari omnes meritò debemus, quantum quidem præ mœrore poſſumus.

Recordor hoc loco hiſtoriæ de ſancto Epiſcopo Martino: quæ narrat ſolo ipſius nomine omnes hæreticos perterritos fuiſſe, atq; expalluiſſe. Rurſum morte eius omnes fideles & verè Chriſtianos dolore & luctu maximo affectos fuiſſe. Denique & de ſepulturæ loco rixas & contentiones inter ciuitates et prouincias nõnullas fuiſſe exortas, ſingulis ipſũ apud ſe cupientibus humari. Hæc omnia eodem ferè modo huic ſancto Chriſti Apoſtolo & Prophetæ noſtræ Germaniæ, prædicatori & Euangeliſtæ, Doctori Martino contigerunt. Sed ego longius iſta perſequi nolo. Ipſum iam Deus ſecum habet, amat, ac fouet in ſinu ſuo: quemadmodum & ipſe hîc viuens nos & Eccleſiam Chriſti vehementer amauit. Proinde beneficia, quæ fidiſſimus pater in nos contulit, nunc ipſi Deus rependat, in illa vita, in qua & nos omnes cum eo rurſum congregandos ſperamus.

Idem Deus det, vt ſpiritus, qui per eximium hunc virum locutus eſt, poſteris, & præ-

sertim Ecclesiis ab ipso plantatis, cum eadem di-cendi vi duplicata semper adsit: sicut Elisæus ab Elia, breui à se tollendo, postulauit 4. Reg. 2.

Quod si suspicamur, hunc tam præcellentem virum propter peccata, & ingratitudinem nostram à nobis esse ablatum: corrigamus mores & vitam nostram: Deum patrem cœlestem per Christum precemur, vt nos in salutari doctrina de fide conseruet: contra hæreticos, Tyrannos, & omnes inferorum portas muniat ac tueatur. Domine Iesu Christe, defende Ecclesiam tuam afflictam & inopem. Adiuua nos Deus salutis nostræ propter gloriam nominis tui: Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen sanctum tuum. Suppedita Ecclesiæ tuæ bonos ac fideles ministros: atque iis fortitudinem & robur per spiritum sanctum tuum largire: iuxta illud psalmi 68. Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa.

Impudentissimas & horrendas aduersariorum sacrificorum, & monachorum blasphemias: & præterea nostram ingratitudinem, mundum hoc tempore in multas calamitates conijcere, & inducere grauem Dei iram, nemo facilè negauerit: sed nostrum est orare Deum patrem in nomine filij sui Domini nostri Iesu Christi, vt compleat, & ad exitum perducat Epitaphium seu Prophetiam illam, quam de seipso reuerendus pater D. Martinus vaticinatus est hoc versu:

Pestis

Pestis eram viuus: moriens ero mors tua Papa.

Laus & gloria sit Deo in omne æuum per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen. Oremus, &c.

ORATIO IN FVNERE REVERENDI VIRI D. MARTINI Lutheri.

Recitata Vuittebergæ à Philippo Melanthone.

ETSI IN HOC PVblico luctu mea vox dolore & lacrymis impeditur: tamen in tanta frequentia aliquid dicendum fuit, non vt ab ethnicis fiebat, tantum de mortui laudabis, sed potius ad commonefaciendum cœtum de miranda gubernatione & periculis Ecclesiæ, vt qua de re angi, quas res præcipuè expetere, ad quæ exempla dirigere vitam debeant, cogitemus. Etsi enim homines prophani in

tanta confuſione vitæ temerè omnia & caſu ferri arbitrantur: tamen nos multis perſpicuis Dei teſtimonijs confirmati ſeiungamus Eccleſiam à prophana multitudine, & ſtatuamus verè eam regi & ſeruari diuinitus: & eius politiam rectè aſpiciamus, agnoſcamus veros gubernatores, & eorum curriculum conſideremus, & eligamus duces & doctores idoneos, quos quidem & piè ſequamur & veneremnr. De his tantis rebus & cogitari & dici neceſſe erit, quoties reuerendi viri D. Martini Lutheri cariſsimi patris & præceptoris noſtri mentio fiet, quem etiamſi multi prophani homines acerbiſsimè oderunt: tamen nos qui ſcimus fuiſſe miniſtrum Euangelij, diuinitus excitatum, amemus ac probemus, & teſtimonia colligamus, quæ oſtendunt eius doctrinam non eſſe ſeditioſas opiniones ſparſas cœco impetu, vt homines Epicurei iudicant, ſed demonſtrationem voluntatis & veri cultus Dei, & explicationem ſacrarum literarum, & præconium verbi Dei, id eſt, Euangelij Ieſu Chriſti.

Etſi igitur in his orationibus, quæ tali loco habentur, multa de ornamentis priuatis eorum qui laudantur dici ſolent, tamē ego ea parte orationis relicta.

tantum

tantum de hoc præcipuo loco dicam, videlicet, de munere Ecclesiastico. Ita enim bonæ mentes semper statuent. Si doctrinam in Ecclesia salutarem & necessariam illustrauit, Deo gratias agendas esse, quòd eum excitauerit, & ipsius labores, fidem, constantiam & cæteras uirtutes laudandas esse, ac memoriam eius bonis omnibus carissimam esse.

Sit igitur hoc orationis nostræ initium. Sedet, vt Paulus inquit, filius Dei ad dextram æterni patris, & largitur bona hominibus, id est, vocem Euangelij & spiritum sanctum, quæ vt impertiat, excitat Prophetas, Apostolos, Doctores, & Pastores, & hos sumit ex hoc nostro, id est, discentium cætu, qui legunt, audiunt, amant scripta Prophetica & Apostolica. Nec tantum illos vocat ad hanc militiã qui tenent ordinariam potestatem, sed sæpe illis ipsis bellum infert per Doctores ex alijs ordinibus delectos. Estq; iucundum & vtile spectaculum intueri Ecclesiam omnium ætatum, & considerare bonitatem Dei, qui subinde salutares doctores ita continuato ordine misit, vt tanquã in acie prioribus decedentibus mox alij in horum vestigia insisterent.

Nota series est primorum parentũ

Adæ,

Adæ, Seth, Enoch. Mathusalem, Noë, Sem, hoc viuo & in vicinia Sodomorum habitante, cum iam oblitæ gentes doctrinæ Noë & Sem, passim idola colerent, excitatus est Abraham, vt esset collega Sẽ, & socius huius summi operis propagandæ veræ doctrinæ. Huic successerunt Isaac, Iacob, Ioseph, qui in vniuersa Aegypto, quæ tunc fuit florentissimum regnum toto orbe terrarum, doctrinæ lucem accendit. Deinde Moses, Iosue, Samuel, Dauid, Elias, Eliseus, quem audiuit Iesaias, Iesaiam Ieremias. Hunc Daniel, Danielem Zacharias. Deinde Estras, Onias. Post hunc Maccabæi, Deinde Simeon, Zacharias, Baptista, Christus, Apostoli. Hanc continuam seriem iuuat aspicere, quæ est illustre testimonium præsentiæ Dei in Ecclesia.

Ac post Apostolos sequitur agmẽ: quod etsi fuit imbecillius: tamen Dei testimonijs ornatum est. Polycarpus, Irenæus, Gregorius Neocæsariensis, Basilius, Augustinus, Prosper, Maximus, Hugo, Bernardus, Taulerus, & alibi alij. Etsi enim hæc postrema senecta squalidior est: tamẽ Deus semper aliquas reliquias seruauit. Et lucem Euangelij splendidorem accensam esse voce Lutheri manifestũ est.

Annu-

Annumerandus eſt igitur illi pulcherrimo agmini ſummorum virorum, quos Deus ad colligendam & inſtaurandam Eccleſiam miſit, quos quidem præcipuum florem eſſe generis humani intelligamus.

Fuerint ſanè magni viri, Solon, Themiſtocles, Scipio, Auguſtus & ſimiles, qui magna imperia vel conſtituerunt vel rexerunt: tamen longè inferiores ſunt his noſtris ducibus Ieſaia, Baptiſtæ, Paulo, Auguſtino, Luthero.

Hæc vera diſcrimina intelligere nos in Eccleſia decet.

Quæ igitur res magnæ & veræ à Luthero patefactæ ſunt, quæ oſtendunt eius curriculum laudandum eſſe? Clamant enim multi turbatam Eccleſiam, & controuerſias inextricabiles ſparſas eſſe. His reſpondeo talem eſſe gubernationem Eccleſiæ. Cum Spiritus ſanctus arguit mūdum, diſsidia propter imperiorum pertinaciam oriuntur, & culpa eſt eorum qui audire filium Dei nolunt, de quo cœleſtis Pater inquit: Hunc audite. Lutherus veram, & neceſſariam doctrinam patefecit, fuiſſe enim tenebras in doctrina de Pœnitentia denſiſsimas manifeſtum eſt. His diſcuſsis, oſtendit quæ ſit vera pœnitentia,

tentia,& quis ſit portus, quæ firma conſolatio mentis quæ expauit ſenſu iræ Dei. Illuſtrauit Pauli doctrinam, quæ ait, Fide iuſtificari hominem. Oſtendit diſcrimen Legis & Euangelij, Iuſticiæ Spiritus, & politicæ. Oſtendit & veram inuocationem Dei, ac totam Eccleſiam ab ethnico furore reuocauit, qui fingit Deum inuocari, etiamſi mentes Academica dubitatione oppreſſæ fugiant Deum. Iuſsit fide & bona conſcientia fieri inuocationem; & quidem ad vnum mediatorem filium Dei ſedentem ad dextrã æterni patris & interpellantem pro nobis, deduxit nos, non ad ſtatuas aut homines mortuos, vt horribili furore homines impij ſtatuas & homines mortuos inuocant.

Monſtrauit & alia vera officia Deo grata, & vitam ciuilem ita ornauit & muniuit, vt nullius vnquam literis ita ornata & munita ſit. Deniq; ſeiunxit à neceſſarijs operibus puerilem pædagogiam humanarum ceremoniarum, & ritus ac leges impedientes veram inuocationem Dei. Et vt illuſtrata doctrina cœleſtis propagaretur ad poſteritatem, vertit in linguam Germanicam prophetica & apoſtolica Scripta tanta perſpicuitate, vt

hæc

hæc ipſa verſio plus lucis adferat lectori, quàm pleriq; commentarij.

Adiunxit & ipſe multas enarrationes, quas longè antecellere omnium enarrationibus quæ extant, Eraſmus etiã affirmare ſolebat. Et, vt ſcribitur de inſtaurantibus Hieroſolymam altera manu eos ædificaſſe, altera gladium tenuiſſe: Ita ipſe & præliabatur cũ hoſtibus veræ doctrinæ, & ſimul enarrationes plenas doctrinæ cœleſtis condebat. Et multorum conſcientijs opem tulit pijs conſilijs.

Cumq; magna pars doctrinæ ſupra humanum conſpectum poſita ſit, vt doctrina de Remiſsione peccatorum & fide, neceſſe eſt fateri à Deo eruditum eſſe, ac multi ex nobis viderunt eius luctas, in quibus didicit: fide, ſtatuendum eſſe, nos & recipi & exaudiri à Deo.

Semper igitur in omni æternitate bonæ mentes beneficia, quæ Deus Eccleſiæ per Lutherum dedit, celebrabunt. Et primum Deo gratias agent. Deinde & ipſius viri laboribus multum debere ſe prædicabunt, etiamſi homines athei, qui totam Eccleſiam rident, hæc κατορθώματα iudicant eſſe inanẽ ludum aut furorẽ.

Nec inextricabiles diſputationes motæ ſunt, nec contentionis pomum, vt

aliqui

Eraſm

aliqui ſalſè dicunt. Eccleſiæ obiectum eſt, nec propoſita σφίγγος ænigmata. Nam ſanis & pijs & non calumnioſè iudicantibus, facile eſt collatis ſententijs videre quæ congruant cum cœleſti do-ctrina, quæ non congruant. Imò, in omnium piorum mentibus has controuerſias iam dijudicatas eſſe non dubium eſt. Quia cum Deus conſpici ſe, & voluntatem ſuam in ſermone prophetico & Apoſtolico velit, in quo ſe patefecit, non exiſtimandum eſt ſermonem illum ambiguum eſſe, vt folia Sibyllæ,

Quæ turbata volant rapidis ludibria ventis.

Sed aliqui, non mali tamen, queſti ſunt aſperiorem fuiſſe Lutherum quàm debuerit. Nihil diſputo in alterutrā partem, ſed reſpondeo id quod Eraſmus ſæpè dixit: Deus dedit huic poſtremæ ætati propter morborum magnitudinem acrem Medicum. Cumq́ tale organum aduerſus hoſtes veritatis ſuperbos & impudentes excitarit, vt ad Ieremiā inquit: Ecce dedi verba mea in ore tuo, vt deſtruas & ædifices, & voluerit eis tanquā hanc Gorgonē obijcere, fruſtra expoſtulant illi cum Deo. Nec regit Deus Eccleſiā humanis conſilijs, nec vult organa ſua prorſus ſimilia eſſe. Illud autem commune eſt.

ne eſt, vt mediocria, & moderata ingenia impetus ardentiores ſeu bonos ſeu malos minus probent. Vidit Ariſtides Themiſtoclem ingenti motu animi res magnas ſuſcipere & fœliciter gerere. Etſi autem fœlicitatem gratulabatur Reipub. tamen incitatum illius animum ex eo curſu reuocare ſtudebat.

Nec ego hoc nego, peccare interdũ vehementiores impetus, nemo enim in hac naturæ infirmitate prorſus ſine labe eſt. Interim tamen, ſi quis talis eſt vt veteres de Hercule, Cimone, & alijs dixerunt, ἄκομψος μὲν ἀλλὰ τὰ μέγιστα ἀγαθός: Vir bonus & laude dignus eſt. Ac in Eccleſia ſi, vt Paulus inquit, rectè militat, retinens fidem & bonam conſcientiam, Deo placet, & à nobis venerandus eſt.

Talem fuiſſe Lutherum ſcimus. Nã & conſtanter doctrinæ puritatem defendit, & conſcientiæ integritatem retinuit. Iam quis eſt, cui quidem notus ille fuit, qui neſciat, quanta humanitate præditus, quanta huius in congreſsibus familiaribus ſuauitas, quam minimè hic contentioſus aut rixator fuerit? Et adiunctã tamen omnia grauitatem habuerunt eã, quæ in tali viro eſſe deberet, nam in hoc

ἀψευδὲς ἦθος, εὐπροσήγορον στόμα.

Vel potius erant secundum Paulum omnia ὅσα ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, vt illā asperitatem ζήλου veritatis, nōn ἐριθείας, aut acerbitatis fuisse manifestum sit. Atq; horum nos omnes & externi plurimi testes sunt. De reliqua autem vita, quam ad annum LXIII. produxit, in maximo & acerrimo studio pietatis & omnium bonarum rerum atq; artium, si laudationem viri instituissem, quàm illustrem & speciosam orationem habere possem? Nullæ vagæ libidines vnquam in eo animaduersæ sunt, nulla seditiosa consilia, imò autor potius aliquoties fuit abijciendorum armorum; non miscuit causis Ecclesiasticis artificia augendæ potentiæ vel suæ, vel suorum. Hanc & sapientiam & virtutem esse iudico tantam, vt sola humana diligentia accersi posse non uideatur, sed diuinitus etiam frenari animos oportet præsertim acres, excelsos, ardentes, qualem omnio Lutheri fuisse res ostendit.

Quid dicam de cæteris eius virtutibus? Sæpe ipse interueni cum lacrimans precationes suas pro tota Ecclesia dixit. Sumebat enim sibi ferè quotidie certum tempus

Preces Lutheri pro Ecclesia.

tempus ad psalmos aliquos recitandos, quib. sua vota gemens & lacrimans miscebat, ac sæpè dixit se succensere istis, qui aut propter ignauiā, aut propter occupationes dicunt satis esse solo gemitu precari. Ideò formæ nobis diuino consilio præscriptæ sunt, inquit: vt lectio mentes accendat, imò vt vox etiam profiteatur, quem Deum inuocemus.

Itaq; cum multæ graues deliberationes de periculis publicis sæpe inciderint, animaduertimus eum ingenti animi robore præditum fuisse, minimeq; ψοφοδεῆ, nec vllis vnquam fractum terrorib. Nitebatur. n. sacra, vt dicitur, ancora, id est, auxilio Dei, nec fidem excuti sibi patiebatur.

Cæterum & acie mentis tantum valebat, vt vnus in obscuris rebus maximè videret quid conduceret. Nec erat, vt multi putant, negligens in consideranda Repub. aut inspiciendis aliorum voluntatibus. Sed & Rempub. norat, & omnium cum quibus viuebat sensus aut voluntates sagacissimè perspiciebat. Et quanquam ingenij vis acerrima erat, tamen auidissimè legebat scripta Ecclesiastica, vetera & recentia, & omnes historias, quarum exempla singulari dexteritate ad præsentia negotia transferebat.

Eloquentiæ verò ipſius perpetua monumenta extant, qua par fũit, haud dubiè ijs, in quibus vis oratoria ſumma fuiſſe exiſtimatur.

Talem virum ſumma vi ingenij præditum, inſtructum doctrina, longo vſu exercitatum, multis excellentibus & heroicis virtutibus ornatum, ac à Deo ad Eccleſiæ inſtaurationem delectum, deniq; complexum nos omnes paterno animo, ex hac noſtra conſuetudine euocatum eſſe, noſtra cauſa meritò dolemus. Sumus enim ſimilimi orphanis præſtanti & fideli patre orbati. Sed quia Deo obtemperare neceſſe eſt, memoriam tamen virtutum & beneficiorum ipſius apud nos interire non ſinamus. Ac ipſi quidem gratulemur iam familiarem & dulciſsimam cum Deo & filio eius domino noſtro Ieſu Chriſto, Prophetis & Apoſtolis conſuetudinem, quam fiducia filij Dei ſemper & petiuit & expectauit, vbi non modò iudicio Dei & teſtimonijs vniuerſæ cœleſtis Eccleſiæ probari ſuos labores, quos in propagatione Euangelij ſuſtinuit, audiuit, ſed etiã ipſe iã eductus ex mortali corpore tanquam ex carcere, & ingreſſus in ſcholam multò eruditiorem Dei eſſentiam, & in filio duas naturas

conium-

coniunctas, & totum consilium conditæ & redemptæ Ecclesiæ propè contemplatur, quas res maximas, inuolutas & breuibus oraculis propositas, cum fide hic considerarit; nunc coram videns lætitia summa adficitur, & Deo iam ardens tota mente gratias agit pro tanto beneficio.

Hic discit cur filius Dei λόγος καὶ εἰκών æterni patris dicatur, & quomodo vinculum sit Spiritus sanctus amoris mutui, non solum inter æternum Patrem & Filium, sed etiam inter ipsos & Ecclesiam. Initia huius doctrinæ & rudimenta in hac mortali vita didicerat, & sæpè de his summis rebus, de discernenda innocatione vera & falsa, de vera agnitione Dei intuente patefactiones diuinas, & discernente verum Deum à commentitijs numinibus grauissimè sapientissimeque dissserebat.

Multi in hoc cœtu audierunt eum aliquando enarrantem hoc dictum: Videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Vbi primum auditores hanc amplissimam consolationem infigere animis iubebat, aditum quæ adfirmat cœlum apertum esse, id est, nobis ad Deum patefactum esse, iræ diuinæ repagula con-

fugientibus ad Filiũ, amota esse: Deum propè iam nobiscum versari, & inuocantes ipsum ab eo recipi, regi & seruari.

Hoc decretum Dei quod homines athei fabulosum esse vociferantur, monebat opponendum esse humanæ dubitationi & pauoribus, qui deterrent fugientes animos, quò minus inuocare Deum ausint nec acquiescant in Deo.

Deinde Angelos ascendentes & descendentes in Christi corpore, ministros Euangelij esse dicebat, qui primum duce Christo ascendunt ad Deũ, & ab eo Euangelij lucem & spiritum sanctum accipiunt. Postea verò descendunt, id est, ministerio docendi inter homines fungũtur.

Addebat autem hanc interpretationem, etiam illos ipsos spiritus cœlestes, quos vsitatè vocamus Angelos intuentes in filium, erudiri & lætari hac miranda copulatione duarum naturarum, & cum huius Domini milites sint in defensione Ecclesiæ, quasi manu eius gubernari eos.

Harum optimarum rerum nunc spectator est, & vt antea inter Euangelij ministros ascendebat & descendebat ducente Christo, ita nunc Angelos cernit mitti ab eo, & sapientiæ diuinæ, & operum diuinorum consideratione vnà cum eis fruitur.

Memini-

Meminimus quanta cum voluptate Prophetarum politiam, consilia, pericula, liberationes recitabat. & quàm eruditè omnia Ecclesiæ tempora conferebat, vt flagrare se illorum summorum virorum desiderio non vulgari significaret.

Hos nunc cōplectitur & gaudet viuas audire & reddere voces. Hi hunc suũ συμφοιτητὴν læti salutant, & vnà gratias Deo agunt colligenti & seruanti Ecclesiam.

Ipsum igitur Lutherum beatum esse non dubitemus. Nostra verò orbitate angamur, & quoniam Dei voluntati postquam eum hinc euocauit, nos quoq; obtemperare necesse est, sciamus hoc quoque velle Deum, vt memoriam virtutum ipsius & beneficiorum retineamus. Id iam officium præstemus. Agnoscamus eum fuisse organum Dei salutare, & eius doctrinam studiosè discamus. Virtutes etiam nobis necessarias pro nostra mediocritate innitemur, timorem Dei, fidem & ardorem in inuocatione, integritatem in ministerio, castitatem, diligentiam vitandi seditiosa consilia, cupiditatem discendi. Vtq; de cæteris pijs gubernatorib. Ecclesiæ, quorũ extant historiæ, sæpè multumq; cogitandũ est, de Ieremia, de Baptista, de Paulo: ita sæpe huius viri doctri-

nam & cursum consideremus, & gratiarum actionem & precationem adiungamus, quod nunc quoque in hac frequentia fieri decet. Mecum igitur vera pietate animorum dicite:

GRatias agimus tibi omnipotens Deus, æterne pater domini nostri Iesu Christi, conditor Ecclesiæ tuæ, vnà cum filio tuo coæterno, dòmino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto, sapiens, bone, misericors, iudex verax, fortis & liberrime, quòd colligis filio tuo hæreditatem ex genere humano, & seruas Euangelij ministerium, & nunc quoque per Lutherũ instaurasti, ac ardentibus votis precamur vt deinceps Ecclesiam & serues & regas & obsignes in nobis veram doctrinam, sicut Iesaias de suis discipulis precatur, & nostras mentes Spiritu sancto tuo accendas, vt te rectè inuocemus, & mores nostros piè regamùs.

Deinde, quia magnorum gubernatorum interitus, sæpè denunciant posteritati pœnas, vos obtestamur ego & omnes quibus docendi munus commendatum est, vt de periculis orbis terrarum cogitetis. Alibi Turci grassantur, alibi minantur bella domestica hostes, passim etiam magna est ingeniorum petulantia.


quæ

quæ præſertim poſtquam Lutheri cenſuram vereri deſinent, maiori audacia doctrinam rectè traditam corrumpent.

Hæc mala, vt Deus auertat, diligentiores ſimus in regendis moribus & ſtudijs, ſemperq́ue infixam hanc ſententiam animis teneamus, tantiſper donec puram Euangelij doctrinam retinebimus, audiemus, diſcemus, amabimus, fore nos Dei domicilium & Eccleſiam, ſicut inquit filius Dei: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eũ, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Hac nos ampliſsima promiſsione ad diſcendam doctrinam cœleſtem accendamur, & ſciamus propter Eccleſiam ſeruari genus humanum & politias, & illam æternitatem futuram mentibus intueamur, ad quam nos Deus vocauit, qui quidem nec fruſtra ſe tam illuſtribus teſtimonijs patefecit, nec fruſtra Filium miſit, ſed verè diligit & curat hæc beneficia magni facientes.

DIXI.

INSIGNIORES RES A REVERENDO PATRE D. MARtino Luthero gestæ breuiter, & tanquam in Tabula Chronographica, deliniatæ.



NNO SALVTIS 1483. Islebiæ natus est Martinus Lutherus, vt in principio huius libelli pagina quinta commemoratum est.

1503. *Lutherus artium liberalium Magister creatur: exacto anno ætatis vigesimo. Vide supra pag. 4.*

1504. *Adscriptus est ad Collegium Augustinianorum monachorum Erphordiæ: annum agens vigesimum primum: vt supra pag. 4.*

1508. *Vuittebergam venit, vbi publicè in Academia docuit: anno ætatis suæ vigesimo sexto, supra pag. 6.*

1512. *Annos natus 29. Romam profectus est: & eodem anno rediens ornatus est gradu doctorum Theologiæ, iam annum ingressus tricesimum ætatis suæ, de quo supra pag. 6.*

Primùm

1516. *Primùm de libero arbitrio Vuitebergæ publicè disputauit, ostendens voluntatem absq; diuina gratia tantum ad peccandum propensam, ideóq; non liberam esse. Scripsit de hac re postea ad Eras. Roterodamum iustum volumen.*

1517. *De pœnitentia disputauit, & quæ sit vera pœnitentia, multis egit: Contra, Papisticos in hac parte errores magna vi oppugnauit. Disputationem illam Cardinali Moguntino transmisit, præposita præfatione, in qua obnixè rogat vt impudentiam & mendacia Tezelij compescat. Nam hoc eodem anno contra Indulgentias à Tecelio allatas, & nimis impiè prædicatas, disputauit, conciones habuit, & propositiones edidit. Fuitq; hoc initium controuersiæ inter Lutherum & Papistas, vt supra pag. 10. prolixè dictum est.*

De libero arbitrio iterum hoc anno disputauit: & simul explicuit quid lex diuina requirat, quomodo ad eam se habeat homo, & id genus alia ad doctrinam de hominis arbitrio necessaria. Circa hæc tempora, & deinceps anno 1518. Catechismi doctrinam populo exposuit, & capita Christianæ religionis præcipua quæ sint, sedulò monstrauit.

Hinc sunt sermones isti postea lingua vernacula editi, puta: de indulgentijs: de pœnitentia: de virtute excommunicationis: de digna præparatione cordis, pro suscipiendo Sacramento corporis & sanguinis Iesu Christi: de triplici Iusticia: de du-

plici

plici iusticia: quomodo sit orandum: de Sacramento Baptismi: de confeßione & Sacramento Eucharistiæ: quomodo sit paßio Christi meditanda: quomodo sit præparandus animus ad mortem: de Coniugio.

In his & similibus fidei partibus, scitu necessarijs, Vir ille diuinus statim in principio populum instituit: vt vel ex hac vna re intelligi poßit, non fuisse contentionis cupidum: sed in hoc magis laborasse, vt conscientias contra varias tentationes confirmaret, & certo Dei verbo muniret.

Interea verò nec monachus ille Tezelius quieuit, sed Francofurti ad Viadrum suas contra Lutheri doctrinam disputationes habuit, quibus nefarios errores de pœnitentia, & alijs Papæ figmentis stabilire conatus est: nihili faciens, simplices & Christianos multorum hominum animos, quos ea re grauißimè offendit.

Cæterum Lutherus hoc etiam anno Heydelbergæ memorabilem disputationem habuit, in Collegio Augustinianorum: in qua vtilißimas illas & necessarias doctrinas de vero vsu Legis: de bonis operibus: de libero arbitrio: & alijs pluribus locis exposuit & illustrauit.

Habuit & aliam disputationem, in qua diligenter docuit, quid sint indulgentiæ: quid remißio peccatorum: quomodo illa fieri oporteat.

Vtq; iam ante ad Albertum Cardinalem, & Archiepiscopum Moguntinum, propter indulgentias

â Tece-

à Tecelio venditas scripserat: ita paulò pòst etiam Hieronymum Brandenburgensem Episcopum monuit: ex quo rursum patet, ipsum non ex animi petulantia quæsiuisse occasiones excitandi dissidia in causa religionis. Nam et ad Leonem X. Papam tandem scripsit, & de enormi auaritia & iniustis exactionibus venialium illorum quæstuum grauiter conquestus est: Et quia planè confidebat, veritatem sub patrocinio Pontificis tutam fore: etiam libellum ipsi transmisit, nomine resolutionum de indulgentijs, in quo multis verbis rationem reddit disputationis suæ contra indulgentias habitæ.

Fuit eodem tempore etiam à D. Eccio, & Syluestro Prierate scriptis oppugnatus, qui ipsum vbiq; traducebant, & omnibus inuisum reddere conabantur: sed vtriq; constanter respondit, & se fortiter defendit.

Cum autem eodem anno Maximilianus Imperator Augustæ Vindelicorum comitia ageret, Pontificij omnia mouere contra Lutherum cœperunt adeoq; nihil intentatum reliquerunt. Tum ipse imperator Pontificem per literas monuit, vt Lutherum reprimeret: Pontifex à Friderico Saxoniæ duce & Electore Imperij postulauit, vt Lutherum traditum in potestatem Romanæ sedis, in eius curiæ iudicio sisteret: simulq; ad Cardinalem S. Sixti, suum in Comitijs legatum, solicitè mandata dedit vt Lutherum, iam hæreticum declaratum, ope & authoritate Cæsaris, aliorumq; principum in

potestatem

quibus aliis commodis præ ipso aucti fuissent: quibus tamen ipsum, qui alios lacessiuerat, potiorem esse par erat. Ita multa deinde scripta de ea disputatione hinc inde sparsa sunt, vtraq; parte suam causam defendente.

Tum etiam Monachi Iuterbocenses, dicti minores, in Lutherum armati sunt, & scripto valdè calumnioso ipsum traduxerunt. Oppugnauit eundem Ieronymus Emserus. Louaniensis, & Coloniensis Academiæ libros eius damnatos publicè combusserunt.

1520. Lutherus denuò Papam supplici scripto adiuit, & libellum de Libertate Christiana ipsi dedicauit, quò palàm faceret se præter authoritatem diuinæ veritatis in sacris scripturis, & ad salutarem conscientiarum institutionem, nihil quærere: id quod ex ipso quoq; libello intelligitur, in quo nihil est intempestiuum.

Cumq; Episcopus Misnensis eo tempore euulgasset inhibitionem, qua conabatur supprimere sermonem quendam Lutheri, suadentem, vt sacra Domini Cœna sub vtraq; specie plebi porrigeretur: Lutherus ad eam quoq; modestè respondit: se id non statuere aut iubere, propria autoritate, sed proponere tantum, & vniuersalis Concilij deliberationi subijcere.

Respondit etiam Coloniensibus & Louaniensibus: Deinde à Carolo Imperatore rogauit vt suam causam, saltem quatenus æquitas pateretur, suscipe-

susciperet agendam. Et palàm testificatus est, se de sententia sua cessurum, si ab aliquo rectius doceatur: imò cupere se doceri. Sed hactenus vim passum esse, eò quod damnatus sit antequam manifesta probatione conuictus fuerit. De quà iniuria etiam apud Episcopum Moguntinensem per literas questus est, rogans, vt se contra insectatores & æmulos suos defenderet. Ad eundem modum ad Adolphum Episcopum Mersenburgensem scripsit: At non magnam auxilij spem ex vtriusq; eorum responsione concipere potuit.

Hoc anno Romanæ Curiæ alumni non obscurè significarunt ipsi Duci Friderico eum Romæ propter Lutherum non esse in magna gratia. Quare motus Fridericus se per literas apud Pontificem excusauit; vt patet ex Epistola eius ad Valentinum Ditleben, & Pontificis ad eam responsione, quæ adhuc extant.

Post hæc secuta est Bulla Pontificis Leonis contra Lutherum, ex animo crudeli ac tyrannico, & impio diuinæ veritatis odio profecta: id quod manifestum fit legentibus.

Itaq; coactus fuit Lutherus ad eam respondere: crudelem Papæ inuidiam detegere, suamq; doctrinam sacrarum literarum autoritate copiosius confirmatam in publicum dare. Et quidem apparet, hanc bullam, aliaq; id genus acerbißima aduersariorum scripta causam fuisse, ob quam deinceps Lutherus tanta vehementia et asperitate con-

tra ipsos vsus sit. Circa hæc tempora etiam libellus de captiuitate Babylonica, contra violentas Papæ fraudes editus est.

Mense Nouembri eius anni Coloniæ Comitia acta sunt: Ibi Erasmus Roterodamus Friderico Saxoniæ duci, iudicium suum de causa Lutheri petenti, non solum coram, sed & in scriptis quibusdam capitibus dilucidè exposuit: quibus furorem Bullæ Pontificis, Sophistarum stupiditatem, inuidiam, & insanos clamores contra Lutherum manifestè improbat: denique & Lutherum causæ bonitate aduersarios in plærisque omnibus rebus vincere affirmat, de qua re supra etiam mentio facta est.

Venerunt ad hæc Comitia Marinus Caracciola & Hieronymus Aleander, Legati Pontificij: & à Duce Friderico magno studio contenderunt, vt Lutheri libros igni daret, ipsum ad supplicium posceret, aut certè Papæ traderet. At eos Princeps cum tali responso dimisit, vt ad ipsum deinceps non redierint.

Eodem anno Lutherus Vuitebergæ ius Pontificium publicè combußit, die Lunæ proxima post natalem diui Nicolai Episcopi: cuius facti rationem postea scripto edito reddidit.

Tum Simon Hessus, Protonotarius Pontificius, nomine vniuersitatis Louaniensis causas scripsit, propter quas ante annum Lutheri libri apud ipsos concremati fuissent. Cæterum quàm validæ

ac piæ

ac piæ ſint illæ cauſæ, quilibet ex ipſo ſcripto cognoſcere poteſt.

Anno 1521. *Dum à Carolo Imperatore Vuormatiæ Comitia celebrarentur: Lutherus duci Friderico ſignificauit ſe, ſi fides publica, & iudices incorrupti, quique ſacras ſcripturas non ignorent, concedantur, paratum eſſe ſuorum ſcriptorum, & actionum omnium rationem ibi reddere.*

Itaq; non multo pòſt vocatus per Caduceatorem Cæſareum, venit. Quæ verò ibi egerit: in actis paulò antè præmiſſis, prolixè expoſitum eſt. Per omnes hos annos, atq; etiam poſt hæc Comitia, Huldrichus ab Hutten, vir generis nobilitate, animi integritate, & multa eruditione celeberrimus ex Francia orientali oriundus, D. Lutherum ſtrenuè defendit: & tam Imperatorem, quàm Principes reliquos & Epiſcopos, aliosq; complures proceres, magno & fideli ſtudio monuit, ne veritatem impugnare conarentur.

Inter hæc autem & Pariſienſes Theologaſtri iudicium de Lutheri ſcriptis ſibi ſumſerunt, eaq; publicè damnauerunt. Quos deinde D. Philippus Melanchton refutauit, & ſimul rationes, quibus Lutheri doctrina nititur, amplè & dilucidè explicauit. Ita paulatim alij atq; alij veritatem amplexi, eam vnà cum Luthero propugnare & propagare, erroresq; aduerſariorum refellere cœperunt.

Hoc ipſo anno Lutherus è conſpectu hominũ abductus, & in loco incognito aliquandiu occul-

tè custoditus fuit. Vnde factum est, vt varij de ipso rumores in vulgus sparsi fuerint: narrantibus alijs interfectum esse: alijs, eum latere propter imperatum silentium: alijs, in vincula coniectum: denique etiam in Bohemiam, vtpote hæreticum, aufugisse nonnulli asserere ausi sunt.

Interea ipse à scribendo non destitit, sed de votis, de missa priuata abroganda, & alijs necessarijs rebus multa scripsit. Amicos sæpè cohortatus est ad præstandam fidem Christo in Ecclesiæ ministerio; & quia videbat aduersarios suos nondum quiescere, etiam ex Pathmo seu Eremo (vt ipse appellabat) illos insectatus est.

Circa principium anni Vuitebergam redijt, ea potissimum de causa, quòd intellexerat, se absente, à quibusdam multa temerè mota, & Ecclesiæ reformationem nullo ordine, nulloque iudicio cœptam esse: quibus obuiam eundum esse putabat. Erant & aliæ causæ, quas in Epistola ad ducem Fridericum, qua rationes sui reditus enumerat; videre licet. Inter præcipuas autem etiam hæc fuit: quòd videbat nonnullos, re perperam intellecta, rapere dicta scriptaque sua in deteriorem partem, & ad seditionem excitandam abuti: (quemadmodum biennio pòst in rusticano tumultu euentus probauit) quod itidem malum vt supprimeret, necessarium putauit, se suis restituere.

Sub hæc tempora Augustiniani Vuitebergenses cœperunt intermittere Missæ celebrationem; quamob-

quamobrem Dux Fridericus, communicato cum primoribus Academiæ consilio, rationes eorum auditas, diligenter perpendit & examinatus, ipsosq; admonuit, vt tantam rem cautè agerent. Ita paulatim, citra tumultum, & graue offendiculum Papisticæ Idololatriæ caput cecidit. Cum autem hoc anno Noribergæ Principes quidam & Imperij status conuentum agerent, Adrianus 6. nuper Papa creatus exemplum antecessorum suorum imitatus, per literas vniuersos simul, & Saxoniæ Ducem Electorem seorsim per legatos monuit, vt Lutherum compescerent, et in viam reducerent, aut certè graui supplicio afficerent, quemadmodum maiores ipsorum in Iohannem Huß animaduertissent.

1523. Moti hoc Adriani scripto Legati Cæsarei cum reliquis Imperij statibus Concilium in sequentem annum Edicto publicarunt, ac cauerunt, ne interea in cuiusquam ditione quicquam in religionis forma mutaretur. Accepit conditionem Lutherus, & Edictum approbauit: siquidem ad Christianum concilium ipse pridem prouocauerat, vt suprà dictum est. Cum autem videret eius Edicti verba ab aduersarijs in ambiguum sensum trahi: falsam illorum interpretationem confutauit. Deinde & Papæ ad Principes commonefactionem oppugnauit.

Multa præterea vtilia eo tempore, quo paululum ocij nactus fuit, in lucem dedit: quorum è numero sunt: Libellus de instituendis ministris Eccle-

siæ ad Bohemos: Quòd Ecclesia ius & potestatem habeat iudicandi de quauis doctrina: de doctrinis hominum vitandis: de pijs Ceremonijs: Formula communionis & missæ priuatæ, seu canonis: Interpretatio Papaselli Romæ in Tiberi Anno 1496. inuenti: Item Monachouituli, editi eodem anno Friberga Misniæ: Exemplum Theologiæ & doctrinæ Papisticæ: Aduersus armatum virum Cochleum: Scripsit etiam Commentaria in vtramq; D. Petri Epistolam: & in septimũ caput prioris ad Corint.

Post Adrianum defunctum eo anno successit Clemens VII. Is quoq; ad Fridericum Saxoniæ ducem legatos & literas semel atq; iterum misit, & rogauit, vt in Conuentu Noribergensi præsens esse suisq; legatis operam suam conferre velit: adeoq; coram in medium consulere, quæ ad religionis controuersiarum compositionem & publicam pacem in Germania facere poßint. Verùm hæc quo animo, quaq; fide scripserit; ex ijs, quæ deinceps perpetrauit, intelligi potest.

1524. *Carolus Imperator nouum contra Lutherum Edictum promulgauit, priori longè seuerius atq; etiam multis in locis eidem contrarium.*

Similes à quibusdam Episcopis Bullæ contra eundem Lutherum publicatæ sunt. Quo factum est, vt & ipse viciβim inclementius illos tractauerit: vt apparet in libello contra nouum Idolum, et veteranum Diabolum Misnensem & in tractatu contra Romanistam Lipsensem; item contra

Papatum

Papatum Romæ exortum. His coniunxit etiam didactica & parænetica quædam: cuiusmodi est interpretatio Psal. 129. ad Miltenbergenses Ps. 127. ad Rigenses Liuoniæ: ad Christianos omnes in Augusta Vindelicorū: Sic verum legis diuinæ vsum & abusum ex Epist. prioris ad Timoth. cap. 1. dextrè planeq; docuit: Germanos omnes peculiari scripto ad pias & Christianas scholas instaurandas studiosè adhortatus est: simul indicans, quantam hactenus iacturam earum neglectus Germaniæ attulerit. Sed plura sunt, quæ tam in concionibus publicis, quàm scriptis, distinctè & piè discernit: quàm quæ hoc loco enumerari possint, aut debeant.

1525. Cum nouo hostium genere rem habuit. Etenim præter calumniatores & persecutores Papisticos, quidam etiam eorum, qui Euangelij libertatem, & Lutheri nomen prætexebant, varios & periculosos errores plantauerunt. Thomas Mönzerus vi agere cœpit, & vniuersum populum in agro Turingico ad seditionem commouit: cuius instituto, vnà cū cæteris circa Rhenū & passim alibi tumultuantibus, iure optimo, imò necessario se opposuerunt D. Lutherus & Dn. Philippus Melanchthon. Qui quantā in ea re diligentiam præstiterint, scripta eorū, quæ adhuc in omniū manib sunt, satis testantur. Tractauit eo tempore Lutherus, eadem fermè occasione quæstionē istam: Nū militū vocatio possit esse iusta et pia? extat impressa seorsim et inter ope

ter opera Lutheri. Cumq; D. Andreas Carolstadius fanaticas quasdam opiniones de imaginibus templorum, de sacra Domini cœna, & alios Anabaptisticos errores, spargere cœpisset: Lutherus eum multis scriptis acerrimè impugnauit. Deinde librum de seruo arbitrio composuit, contra Diatriben Erasmi Roterodami de libero arbitrio anno priori editam.

Hoc anno decessit è vita Fridericus Saxoniæ Dux & elector: de cuius obitu extant Conciones nonnullæ funebres D. Lutheri. Prodijt eodem anno alterum ipsius scriptum ad Regem Angliæ, quo se illi reconciliaturus erat. Nam anno 1522. contra Tyrannidem & impietatem illius magna asperitate inuectus erat. Sed hoc anno certior factus illum in regno suo puram Euangelij doctrinam admittere: iterum scripsit, eiq; sublata priori discordia, suam operam in promouenda vera Dei agnitione officiosè obtulit. Quin & ingenuè promittit, si rex postulet, se palinodiam cantaturum.

Ad hæc postea Rex valdè inhumaniter respondit, & Lutherum multis grauissimis conuitijs onerauit. Quæ res tertium scriptum Luthero extorsit, quo se contra eundem Regem defendit: & vicissim eum pessimè exagitauit.

Scripsit etiam ad Georgium Misniæ ducem perquàm officiosè & submissè, studio redeundi cum illo in gratiam: sed apud hunc quoque nihil profecit. Ex his nemini obscurum est, Lutherum non

vsque

vsque adeò pugnacem & obstinatum fuisse, vt à multis habetur.

Vt autem superioribus annis Matrimonium in quotidianis concionibus, & scriptis plurimis, magnis laudibus ornauerat, & alijs eius contrahendi autor fuerat: ita hoc anno ipse quoq; coniugem sibi copulauit.

1526. *Cœpit inuulgari grauißima concertatio de præsentia Christi in Sacramento Eucharistiæ: Ibi Lutherus primum in concionibus spiritus illos (vt vocant) fanaticos perstrinxit, deinde scriptis quoq; apertè inceßiuit. Mirum quantum breui tempore ea dissensio creuerit, & quot præclaros & doctos viros in longè tristißimam pugnam pertraxerit.*

Cœperat hoc anno etiam in Hungaria fulgere lux Euangelij: sed præualuit Episcoporum Papisticorum vis et præstigiæ. Et præterea Ludouicus, Rex innocentißimus, à Turca oppressus, perijt. Quæ res itidem negotium fecit Luthero, vt patet in scripto ipsius ad Mariam Hungariæ reginam. Non tamen Ecclesiæ suæ curam his negotijs excuti sibi passus est: sed interea doctißimè scripsit in 23. cap. Hieremiæ, de regno Christi: Item in Prophetam Ionam: in Prophetam Abacuc: & Psalmos plurimos.

1528. *Quia nimium inualescebat hæresis Anabaptistarum: fortiter illis restitit, etiam pluribus annis sequentibus. Eam prouinciam cum ipso*

postea communicauerunt Dn. Philippus Melanchthon: Iustus Mœnius: & alij quidam. Scripsit etiam de libello contra Turcam suscipiendo, qui hoc tempore in Christianos armari dicebatur.: Quanquam Lutherus non hoc tantum tempore, sed etiam aliàs sæpê de hac re Christianos omnes commonuit, & ad pias ardentesq; preces excitauit. Erant tum multi, qui exempla & sententias ex libro Geneseos corrumpebant, & ad nescio quos errores confirmandos vsurpabant: quare Lutherus illum librum publicè pro concionibus explicauit. Deinde addit 9. & 20. cap. Exod. Item, Zachariam Prophetam: Item cap. 36. 37. 53. & alia quædam ex Propheta Esaia 5. sæpe quidem optauit ocium sibi dari, ad explananda & elucidanda integra prophetarum scripta: sed quia id nunquam contigit: libenter arripuit quamcunq; occasionem, ad declarandum duntaxat potiora quædam capita, aut etiam singulas sententias illorum, quò vel hoc modo suo desiderio satis faceret.

1529. Marpurgum vnà cum Zuinglio vocatus est: vbi in præsentia Philippi Hassiæ principis de intellectu verborum sacræ Cœnæ disseruerunt: sed obstitit nescio quis malus genius, quò minus concordes facti sint.

Sperabatur etiam hoc anno Concilium generale, quod Papa Regi Poloniæ promiserat: sed fucum postea res ipsa detexit.

1530. Carolus V. Imperator Augustæ Vindelico-

delicorum Comitia celebrauit, in quibus coram ipso præsente de religione actum est: Et status protestantes fidei suæ confeßionem ipsi Carolo exhibuerunt, spe faciendæ concordiæ: at rursum obstitit pertinax odium aduersariorum, quo confeßionem illam ægrè receptam, protinus damnauerunt.

Sub his comitijs & proximis annis deinceps absoluit Lutherus maiorem partem explicationum in psalmos nonnullos: exceptis primis 9. psalmis, & septem alijs, quos pœnitentiales vocamus, annis 1519. 1520. & 21. ab ipso expositis.

Post Comitia, cum minus premeretur Papistarum calumnijs, cœpit eò studiosius resistere Anabaptistis, Sacramentarijs, Antinomis, vagis & clancularijs prædicatoribus, seu potius præstigiatoribus, &c.

1536. Papa Concilium indixit in vrbe Mantua: Ibi rursum Lutherus suum in concordia iuuanda studium declarauit. Conscripsit enim summã suæ, & statuum protestantium fidei: eamq́ paucis quibusdam capitibus comprehensam, rationibus ex sacris literis adductis sufficienter confirmauit. Quo scripto satis ostendit, quid in Papistica religione improbet, quid rursum à nostris salua veræ fidei doctrina, concedi aduersarijs, et indulgeri poßit. Hanc suam confeßionem ad concilium missurus erat, quòd putabat religionis compositionem, & piam pacem, aliẽ ab aliquibus aduersariorum quæri. At postea quam vidit hac concilij spe Christianos

omnes

omnes delusos fuisse, atq; etiam reformationem à Papa Romæ publicatam vanam ac falsam esse: tũ demum vehementius Papatum insectatus est, quàm vnquam antea. Scripsit igitur de Concilijs: Donationem Constantini refutauit: Nouum librum contra Papatum, Romæ à Diabolo consecratum, edidit: atq; ita deinceps vsq; ad finem vitæ contra Papismum strenuè pugnauit.

Hoc anno Prædicatores Euangelij Christi in superiori Germania Vuitebergam ad Lutherum profecti sunt, vbi facta & confirmata est inter eos concordia & consensio de intellectu verborum Christi in sacra Cœna: Hoc est corpus meum: Hic calix &c.

Hæc ferè sunt præcipua Lutheri certamina & studia, quibus ætatem suam exegit nequaquam desidiosè. Reliquis annis & præsertim posterioribus hîc à nobis non annotatis, quibus & ab aduersarijs minus fuit interpellatus, & tantos labores partim propter ætatẽ iam ingrauescentem partim ob valetudinis imbecillitatem sustinere amplius nõ potuit: plurimum & propè solum Ecclesiæ & Academiæ Vuitebergensi inseruijt, concionando, pulicè legendo, & disputando. Quòd si quando recreatis viribus aliquantò vegetior sibi factus videbatur: solebat circuire omnes diœceses Electori Saxoniæ subditas, ad explorandum Ecclesiarum profectum, parochorũ mores & eruditionem: doctrinam & ritus in Ecclesijs vsitatos: & si quid erat erroris aut vitij: dabat

bat operam, vt emendaretur. Nec tamen à scribendo his annis prorsus abstinuit: Edidit enim libros contra Iudæos, contra Sabbatharios, pseudochristianos, vsurarios: tractauit quæstiones & causas matrimoniales: de fuga tempore pestis: & alia innumera, quæ nunc in operibus ipsius coniuncta, germanicè & latinè imprimuntur, vt cuiuis pateant.

Hoc loco omnia colligere & singulatim commemorare prolixum & tædiosum fuerit. Neq; id nostri est instituti, qui aliud nihil quærimus hoc libello, quàm vt minus peritos, & inferioris sortis homines breui compendio doceamus, qua occasione, & quibus de causis Lutherus tot tantaq; certamina ingressus sit: & quomodo ab aduersarijs prouocatus, atq; adeò coactus fuerit asperius agere, et mordacibus scriptis eos insectari: quibus tamen mirabiliter in totum orbem diuina veritas disseminata est. Vident enim homines, non planè cæci, tantas res non humanis consilijs potuisse geri: sed hunc virum præcipuum Dei organum fuisse, ad hoc electum & præparatum, vt magna vi & fiducia veram religionem è tenebris erueret, & in lucem reduceret. Aliter quî ausus fuisset tot tantisq; hostibus solus obsistere, quî solus potuisset sufficere tot grauissimis laboribus, tam longo tempore? Fatendum omnino est non fuisse huius seculi filium, cum tot tentationes & insultus Diaboli, ex omnibus regionibus, ordinibus et hæresibus aliquos contra ipsum exacuentis, constant

& immo-

& immotus ad finem vsq; vitæ sustinuerit & magnis viribus propulsauerit: deniq; in conspectu quasi omnium istorum, quieta & placida morte in ipsa patria sua, & tranquilla rerum suarum constitutione vitam finiuerit.

Hæc nos breuiter indicare, & lectoris iudicio latius & diligentius expendenda proponere voluimus: vt hæc Dei clementissimi beneficia in omni vita, seu potius in omnium ætatum historijs attentè obseruet, rectè æstimet, et debitas illi gratias toto pectore agat: Dominus noster Iesus Christus nos omnes in agnitione sacrosancti Euangelij sui perpetuò tueatur, Amen.

FINIS.



PRAE-

PRAEFATIO D. LVTHERI, EX PRIMO TOMO LATINO operum eius, in qua breuiter complexus est seriem omnium ferè suarum actionum vsque ad Comitia Vuormatiæ habita, Anno 1521.



VLTVM DIVQVE RE- stiti illis, qui meos libros seu verius confusiones mearum lucubrationum voluerunt editas, tum quòd nolui Antiquorum labores meis nouitatibus obrui, & Lectorem á legendis illis impediri, tum quod nunc, Dei gratia, extent methodici libri quãplurimi, inter quos Loci Communes Philippi excellunt, quibus Theologus & Episcopus pulchrè & abundè formari potest, vt sit potens in sermone doctrinæ pietatis: præsertim cùm ipsa sacra Biblia nunc in omni propê lingua haberi poßint. Mei autem Libri, vt ferebat, imò cogebat rerum gerendarum nullus ordo, ita etiam ipsi sint quoddam rude & indigestum Chaos, quod nunc nec mihi ipsi sit facilè digerere.

His rationibus adductus, cupiebam omnes li-

bros

bros meos perpetua obliuione sepultos, vt meliori-
bus esset locus. Verùm improbitas & importuna per-
tinacia aliorum, qui mihi quotidie aures implebant,
futurum esse, si ego viuus non permitterem edi, ta-
men post mortem meam essent certissimè edituri ij,
qui prorsus nescirent causas & tempora rerum ge-
starum. Et ita ex vna confusione fierent plurimæ.
Vicit (inquam) eorum improbitas, vt edi permit-
terem. Accessit simul voluntas & imperium illu-
strissimi Principis nostri Iohannis Friderici electoris
&c. qui iussit, imò coëgit Typographos non solum
excudere, sed & maturare editionem.

Sed ante omnia oro pium Lectorem, & oro
propter ipsum Dominũ nostrum Iesum Christum vt
ista legat cum iudicio, imò cũ multa miseratione. Et
sciat, me aliquandò fuisse Monachum & Papistam
insanissimum, cum istam causam aggressus sum, ita
ebriũ, imò submersum in dogmatib. Papæ, vt para-
tissimus fuerim, omnes, si potuissem, occidere, aut oc-
cidentibus cooperari & consentire, qui Papæ vel
vna syllaba obedientiam detrectarent. Tantus erã
Saulus, vt sunt adhuc multi. Non eram ita glacies
& frigus ipsum in defendendo Papatu, sicut fuit Ec-
cius & sui similes, qui mihi verius propter suum
ventrem Papam defendere videbantur, quàm quod
seriò rem agerent. Imò ridere mihi Papam adhuc
hodie videntur, velut Epicurei. Ego seriò rem agebã,
vt qui diem extremum horribiliter timui, & ta-
men saluus fieri ex intimis medullis cupiebam.

Ita

Ita inuenies in istis meis Scriptis prioribus, quàm multa & magna humilimè concesserim Papæ, quæ posterioribus & istis temporibus pro summa blasphemia & abominatione habeo & execror. Dabis ergo hunc errorem, pie Lector, vel (vt ipsi calumniantur) Antilogiam, tempori & imperitiæ meæ. Solus primò eram, & certè ad tantas res tractandas ineptiss. & indoctissimus. Casu enim non voluntate nec studio in has turbas incidi, Deum ipsum testor.

Igitur cum anno 1517. Indulgentiæ in his Regionibus venderentur (promulgarentur volui dicere) turpissimo quæstu, Ego tum eram Concionator, iuuenis (vt dicitur) Doctor Theologiæ, & cœpi dissuadere populis, & eos dehortari, ne Indulgentiariorum clamoribus aurem præberent: habere eos meliora quæ facerent. Et in ijs certus mihi videbar, me habiturum patronum Papam, cuius fiducia tum fortiter nitebar, qui in suis Decretis clarissimè damnat Quæstorum (ita vocat indulgentiarios Prædicatores) immodestiam.

Mox scripsi epistolas 2. alteram ad Moguntinensem Archiepiscopum Albertum, qui dimidium pecuniæ ex Indulgentijs habebat, alterum dimidium Papa, id quod tunc nesciebam. Alteram ad Ordinarium (vt vocant) loci Episcopum Brandenburgensem Hieronymum, rogans, vt compescerent Quæstorum impudentiam et blasphemiã. Sed pauperculus Frater contemnebatur. Ego contemptus

edidi Disputationis schedulam, simul & Germanicam Concionem de Indulgentijs, paulò pòst etiam Resolutiones, in quibus pro honore Papæ hoc agebam, vt Indulgentiæ non damnarentur quidem, sed bona opera charitatis illis præferrentur.

Hoc erat cœlum deturbasse, & mundum incendio consumpsisse. Accusor apud Papam, mittitur citatio mei ad Vrbem, & consurgit totus Papatus in me vnicum. Hæc aguntur anno 1518. sub Comitijs Maximiliani Augustæ celebratis. In quibus agebat Legatum à latere Pontificis, Cardinalis Caietanus, quem Dux Illustrißimus Saxoniæ Fridericus, Elector Princeps, causa mea adijt, & impetrauit, ne Romam cogerer ire, sed ipse me vocato, rem cognosceret & componeret. Mox soluta sunt Comitia.

Interim, quia feßi erant Germani omnes, ferendis expilationibus, nundinationibus, & infinitis imposturis Romanensium nebulonum, suspensis animis expectabant euentum tantæ rei, quam nullus antea neq; Episcopus, neq; Theologus ausus esset attingere. Et fouebat me vtcunq; aura ista popularis, quòd inuisæ iam essent omnibus artes & Romanationes illæ, quibus totum orbem impleuerant & fatigauerant.

Veni igitur pedester & pauper Augustam, stipatus sumptibus & literis Principis Friderici ad Senatum & quosdam bonos viros commendatitijs. Triduo eram ibi, antequam accederem Cardinalem.

Prohibe-

Prohibebant enim viri illi optimi & dissuadebant summis viribus, ne citra saluum conductum Cæsaris Cardinalem adirem Licet ille me singulis diebus per quendam Oratorem vocaret. Erat hic mihi satis molestus, vt tandem reuocarem, dum essent omnia salua. Sed longa est iniuria, longæ ambages.

Tandem tertio die venit expostulans, cur non accederem Cardinalem. qui benignißimè me expectaret? Respondi, mihi obtemperandum esse consilijs optimorum virorum, quibus essem à Principe Friderico commendatus. Esse autem eorum consilium, ne vllo modo absq; tutela Cæsaris seu fide publica Cardinalem accederem, qua impetrata (agebant autem illi apud Senatum Cæsareum, vt impetrarent) mox essem accessurus. Hic commotus ille, Quid? (inquit) putas Principem Fridericum propter te arma sumpturum? Dixi, hoc nollem prorsus. Et vbi manebis? Respondi: Sub cœlo. Tum ille: Si tu Papam & Cardinales in potestate tua haberes, quid esses facturus? Omnem, inquam, reuerentiam & honorem exhibiturus. Tum ille, gestu Italico mouens digitum, dixit: Hem. Et sic abijt, neq; reuersus est.

Eo die denunciauit Senatus Cæsareus Cardinali, mihi esse datam Cæsaris tutelā seu fidem publicam, admonens, ne quid asperius in me designaret. Hic fertur respondisse: Benè est, ego tamen faciam, quod mei officij fuerit. Hæc fuere principia istius turbæ. Cætera ex actis infra cognosci poterunt.

Eodem anno iam M. Philip. Melan. à Principe Friderico vocatus huc fuerat ad docendas literas græcas, haud dubiè, vt haberem socium laboris in Theologia. Nam quid operatus sit Dominus per hoc organum, non in literis tantum, sed in Theologia, satis testantur eius opera, etiamsi irascatur Satan & omnes squamæ eius.

Anno sequente 19. decessit in februario Maximilianus, & factus est iure Imperij Vicarius dux Fridericus, tum desijt paululum sæuire tempestas & sensim obrepsit contemptus Excommunicationis seu fulminis papistici. Nam cum Eccius & Caracciolus ex Vrbe attulissent Bullam damnatricem Lutheri, eamq; insinuassent, ille hîc, iste illic, Dux Fridericus qui Coloniæ tum erat, Carolum recens electum cũ alijs Principibus suscepturus, indignissimè tulit, & magna fortitudine & constantia obiurgabat pontificium illum nebulonem, quòd se absente perturbassent ipse & Eccius ditiones fratris Ioannis & suam, & exagitabat eos magnificè, ita vt cum rubore & dedecore ab eo discederent. Intellexit Princeps ingenio incredibili præditus, artes Romanæ curiæ, & eos dignè tractare nouit, erat enim emunctissimæ naris, & plus & longius olfaciebat, quàm Romanenses aut sperare aut timere poterant.

Itaq; deinceps ab eo tentando abstinebant, nam & Rosam, quam vocant auream, eodem anno ei à Leone X. missam, nullo honore dignatus est, imò pro ridicu-

ridiculo habuit. Ita desperare coacti sunt Romanistæ à studijs fallendi tanti Principis, & procedebat feliciter Euangelium sub vmbra istius Principis, & latè propagabatur. Mouebat eius autoritas plurimos, qui cum esset sapientißimus & oculatißimus Princeps, non poterat, nisi apud inuidos suspicionem incurrere, quòd hæresin aut hæreticos vellet alere & tueri. Quæ res Papatui magnum intulit detrimentum.

Eodem anno habita est disputatio Lipsiæ, ad quam Eccius nos duos Carlstadium & me prouocauit. Sed ego nullis literis potui impetrare fidem à Duce Georgio, ita vt non disputator, sed spectator futurus, sub fide Carlstadio data, Lipsiam ingrederer. Quis autem me impedierit, ignoro, nam adhuc erat Dux Georgius mihi non iniquus, quod sciebam certò.

Hic Eccius me acceßit in hospitio dicens, sese audisse me detrectare disputationem. Respondi: quomodo disputare potero, cum nequeam impetrare fidem à Duce Georgio? Ille, si tecum, inquit, non licet disputare, neq; cum Carlstadio volo, propter te enim huc veni. Quid si ego tibi fidem impetrauero, numquid disputabis mecum? Impetra (inquã) & fiat. Abijt ille, & mox data est mihi quoq; fides publica, & facta copia disputandi.

Faciebat hoc Eccius, quia certam sibi gloriam propositam cernebat, propter Propositionem meam, in qua negabam, Papam esse iure diuino caput Ec-

clesiæ, hic patuit ei campus magnus, & occasio summa plausibiliter adulandi, & gratiam Pontificis emerendi, tum odio & inuidia me obruendi, quod strenuè fecit per totam disputationem, nec tamen sua firmauit, nec mea confutauit, ita vt ipse Dux Georgius inter prandendum ad Eccium & me diceret: Siue sit iure humano siue diuino Papa, ipse est Papa. Quod verbum, nisi argumentis fuisset motus, nequaquam dixisset, sed Eccium solum probasset.

Atq; hîc vide, vel in meo casu, quàm difficile sit eluctari & emergere ex erroribus totius orbis exemplo firmatis, & longa consuetudine, velut in naturam mutatis. Quàm verum est prouerbium: Difficile est consueta relinquere: & consuetudo est altera natura? Et quàm verè dicit Augustinus: Cõsuetudo, si ei non resistitur, fit necessitas? Ego, qui iam tunc sacras literas diligentissimè priuatim & publicè legeram et docueram per septẽ annos, ita vt memoriter penè omnia tenerẽ, deinde primitias cognitionis & fidei Christi hauseram, scilicet: Non operibus, sed fide Christi nos iustos & saluos fieri, deniq; id de quo loquor, Papam non esse iure diuino caput Ecclesiæ, iam defendebam publicè: Tamen id quod consequens erat, non vidi, scilicet, Papam necessariò esse ex Diabolo. Quod enim ex Deo non est, necesse est ex Diabolo esse.

Sic absorptus eram (vt dixi) tum exemplo et titulo sanctæ Ecclesiæ, tum consuetudine propria, vt

Papa

Papæ concederem ius humanum, quod tamen, si non sit fultum autoritate diuina, mendacium & diabolicum est. Nam Parentibus & Magistratibus paremus non quia ipsi præcipiunt, sed quia sic est voluntas Dei, 1. Pet. 3. Hinc est, quòd minus iniquo animo ferre possumus eos, qui pertinacius in Papatu hærent, præsertim qui sacra vel etiam profana non legerunt, cum ego tot annis sacra legens diligentissimè, tamen ita hæsi tenaciter.

Anno 1519. misit Rosam Leo 10. (vt dixi) per Carolum Miltitium, qui multis egit mecum, vt Papæ reconciliarer. Is habuit 70 Breuia apostolica, vt si Princeps Fridericus illi me traderet, sicuti Papa per Rosam quærebat, per singula oppida affigeret vnū, & ita tutus me perduceret Romam. Prodebat autē coram me consilium cordis sui, dicens: ô Martine, ego credebam te esse senem aliquē Theologum, qui post fornacem sedens, ita secum disputasset, nunc video te esse adhuc integrum ætate & validum. Si haberem 25. millia armatorum, non confiderem te posse à me Romam perduci: exploraui enim per totum iter animos hominū quid de te sentirent. Ecce, vbi vnum pro Papa stare inueni, tres pro te contra Papam stabant. Illud verò ridiculum erat, explorauerat etiam mulierculas et virgines in hospitijs quidnam de Sede Romana sentirent? Illæ vt ignaræ huius vocabuli, & sellam domesticam cogitantes, respondebant: Quid nos scire possumus, quales vos Romæ habeatis sellas, ligneas ne an lapideas?

Rogabat itaq; vt consulerem ea, quæ pacis essent, se omnem daturum operam, vt Papa idem faceret. Ego prolixè quoq; promisi, omnia, quæ vllo modo salua conscientia veritatis possem, promptissimè essem facturus, me quoq; esse pacis cupidum & studiosum, qui per vim tractus in has turbas necessitate adactus fecissem omnia, quæ feci, culpam non esse meam.

Vocauerat autem ad se Iohannem Tetzel, prædicatorij ordinis, autorem primarium huius tragœdiæ: & verbis minisq; Pontificijs ita fregit hominem hactenus terribilem cunctis, & imperterritum clamatorem, vt inde contabesceret, & tandem ægritudine animi conficeretur. Quem ego, vbi hoc resciui, ante obitum literis benigniter scriptis consolatus sum, ac iussi animo bono esse, nec mei memoriam metueret: sed conscientia & indignatione Papæ fortè occubuit.

Futilis habebatur Carolus, & futile eius consilium, sed meo iudicio, si Moguntinus à principio, cum à me admoneretur: deniq; si Papa, antequā me non auditum damnaret, & Bullis suis sæuiret, hoc cepissent consilium, quod Carolus cepit, licet serò, & statim compescuissent Tetzelianum furorem, non euasisset res in tantum tumultum. Tota culpa est Moguntini, cuius sapientia & astutia eum fefellit, qua voluit meam doctrinam compescere, & suā pecuniam per indulgentias quæsitam, esse saluam. Nunc frustra quæruntur consilia, frustra cogun-

tur

tur studia, Dominus euigilauit, & stat ad iudicandum populos, etiamsi nos occidere possent, non tamen haberent quod volunt, imò minus haberent, quàm nobis viuis & saluis habent. Id quod nonnulli inter eos, qui non omnino obesæ naris sunt, satis olfaciunt.

Interea eo anno iam redieram ad Psalterium denuò iterpretandum, fretus eo, quod exercitatior essem, postquam S. Pauli Epistolas ad Romanos, ad Galatas, & eam, quæ est ad Ebræos, tractassem in scholis. Miro certè ardore captus fueram cognoscendi Pauli in Epistola ad Romanos, sed obstiterat hactenus, non frigidus circum præcordia sanguis, sed vnicum vocabulum, quod est: Iusticia Dei reuelatur in illo: Oderam enim vocabulum istud: Iusticia Dei, quod vsu & consuetudine omnium doctorum doctus eram philosophicè intelligere, de iusticia (vt vocant) formali seu actiua, qua Deus est iustus, & peccatores iniustosq; punit.

Ego autem qui me, vtcunq; irreprehensibilis Monachus viuebam, sentirem coram Deo esse peccatorem inquietissimæ conscientiæ, nec mea satisfactione placatum confidere possem, non amabam imo oderam iustum & punientem peccatores Deum. tacitaq; si non blasphemia, certè ingenti murmuratione indignabar Deo, dicens: Quasi verò non satis sit, miseros peccatores & æternaliter perditos peccato originali, omni genere calamitatis oppressos esse per legem Decalogi, nisi Deus per Euangelium

dolorē dolori adderet, et etiam per Euangeliū nobis iusticiam & iram suam intentaret: Furebam ita sæua & perturbata conscientia, pulsabam tamen importunus eo loco Paulum, ardentissimè sitiens scire, quid S. Paulus vellet.

Donec miserente Deo, meditabundus dies & noctes connexionem verborum attenderem, nempe, Iusticia Dei reuelatur in illo, sicut scriptum est: Iustus ex fide viuit. Ibi Iusticiam Dei cœpi intelligere eam, qua iustus dono Dei viuit nempe ex fide, & esse hanc sententiam: Reuelari per Euangelium iusticiam Dei, scilicet passiuam, qua nos Deus misericors iustificat per fidem, sicut scriptum est: Iustus ex fide viuit. Hîc me prorsus renatúm esse sensi & apertis portis in ipsam Paradisum intrasse. Ibi continuò alia mihi facies totius Scripturæ apparuit. Discurrebam deinde per scripturas, vt habebat memoria, & colligebam etiam in alijs vocabulis analogiam. Vt opus Dei, id est, quod operatur in nobis Deus: virtus Dei, qua nos potentes facit: sapientia Dei, qua nos sapientes facit: fortitudo Dei, salus Dei gloria Dei.

Iam quanto odio vocabulum, Iusticia Dei, oderam antè tanto amore dulcissimum mihi vocabulum extollebam, ita mihi iste locus Pauli fuit verè porta Paradisi. Postea legebam Augustinum de Spiritu & Litera, vbi præter spem offendi, quòd & ipse Iusticiam Dei similiter interpretatur, qua nos Deus induit, dum nos iustificat. Et quanquam im-

perfectè

perfectè hoc adhuc sit dictum, ac de imputatione non clarè omnia explicet, placuit tamen iusticiam Dei dicere, qua nos iustificemur.

Istis cogitationibus armatior factus, cœpi Psalterium secundò interpretari, & processisset opus in magnum Commentarium, nisi denuò per Comitia Caroli V. Imperatoris Vuormatiam sequenti anno vocatus, opus cœptum deserere fuissem coactus.

Hæc ideò narro, optime Lector, vt si lecturus es opuscula mea, memor sis, me vnum fuisse (vt supra dixi) ex illis, qui (vt Augustinus de se scribit) scribendo & docendo profecerint, non ex illis, qui de nihilo repente fiunt summi, cũ nihil sint neq; operati neq; tentati, neq; experti, sed ad vnum intuitum scripturæ, totum spiritum eius exhauriunt.

Hactenus ad annum 1520. & 21. processit res Indulgentiaria Pòst sequuntur res Sacramentariæ & Anabaptisticæ, de quibus in alijs Tomis, si vixero, præfandum est.

Vale, Lector, in Domino, & ora pro incremento verbi, aduersus Satanam, quia potens & malus est, nunc etiam furentissimus & sæuissimus, sciens quoniam breue tempus habet & regnum sui Papæ periclitatur. Confirmet autem Deus hoc in nobis, quod operatus est, & perficiat opus suum, quod incepit in nobis, ad gloriam suam, Amen. 5. Martij, Anno

1545.

Sequun-

SEQVVNTVR ALIQVOT DISTICHA, DE ACTIS LVTHERI,

quæ ſimul annorum numerum, quædam etiam diem in ſe comprehendunt, vt:

D. *Martinus natus eſt, Anno 1488. Quod tempus comprehenſum eſt hoc ſequenti diſticho:*

Natus es Islebij diuine Propheta Luthere:
Religio fulget, te duce, Papa iacet.

ANNVS MAGISTERII.
1503.

Erfurdi iuuenis titulos capit vrbe Magiſtri,
Luſtra ſuæ ætatis quatuor acta colens.

ANNVS MONACHATVS.
1504.

Vana ſuperſtitio corpus iuuenile cucullo
Ornat, id omne tibi fraudi age Papa fuit.

ANNVS QVO VVITEBERGAM venit.
1508.

Mittitur Albiorin, Chriſto auxiliante, Lutherus:
Quantus erat vates? gloria quanta Scholæ?

ANNVS

ANNVS DOCTORATVS
& quo fuit Romæ.
1511.

Staupicij est iussu titulos Doctoris adeptus,
Vt trucis Italiæ venit ab vrbe Lupi.

ANNVS RESTAVRATAE
Religionis.
1517.

Relligionis opus cœno extrahis, auspice Christo;
Verax ô dextro nixe Luthere Deo.

ANNVS CONFESSIONIS
coram Caietano Augustæ, quæ
extat Tom. 1. pag. 207.
1518.

Augustæ Christum profitetur in vrbe Lutherus,
Non curans vultus, præsul acerbe, tuos.

ANNVS DISPVTATIO-
nis Lipsiæ.
1519.

Eccius est iusti victus virtute Lutheri,
Disputat vt Iulij Lipsiæ in vrbe die.

ANNVS CONFESSIONIS
in Comitijs Vuormatiensibus.
1521.

Cæsaris ante pedes, proceres stetit ante potentes.
Accola qua Rheni Vangio littus adit.

ANNVS

ANNVS PATHMI.

1522.

Carlstadij ob furias ad Saxona tecta recurrit:
Faucibus ex sæuis rursus ouesq; rapit.

ANNVS MATRIMONII & seditionis rusticorum.

1525.

Seditio Agricolæ ferro est restincta potenti:
Fœdera coniugij casta Lutherus init.

ANNVS CONVENTVS Marpurgi.

1529.

Marpurgi cœna Christi ferit acriter hostes,
Stabat vt à sæuis cincta Vienna Getis.

ANNVS CONVENTVS Augustani.

1530.

Augustæ statibus fidei confeßio cunctis
Proposita est, Christi gloria læta redit.

ANNVS OBITVS Lutheri.

1546.

Nona bis obscuro lux februa constitit ortu,
In patrio vt moreris, clare Luthere, solo.

Prima

PRIMA NARRATIO MATTHÆI DRESSERI DE MARtino Luthero, ex libello eius de Festis.



ARTINVS LVTHErus Islebiæ patre Ioanne, & matre Margarita, in vigilia Martini natus est, anno Christi 1483. Quare non abs re crediderim nomen hoc, ex tempore illi esse inditum. Lutherus verò Germanis idem est, quod clarus, vnde cùm pro Matthiæ Racenbergij Medici filia in Baptismo fide iuberet, & nomen infanti, ex more, quodcunque vellet, imponere iuberetur: de meo, inquit, nomine nomen imponam: Clara vocetur.

Aetatis suæ anno 14. studiorum caussa primùm missus est Magdeburgum. Vbi cùm annum vnum in doctrinæ studijs consumsisset, Isenacum venit, & quadriennium ibi percipiendis artibus ijs, quæ ad dicendi scriben-

ſcribendiq́ facultatem ferunt, impertiuit. Memorabile eſt, quod Iſenaci contigiſſe ſibi ipſemet prædicauit. Cùm enim ibi canendo oſtiatim victum conquireret, factum eſt, vt bis terue panis fruſtum abnueretur. Quod cùm mirum ei videretur, et inſolens, quaſi iam ab omnibus deſertus eſſet, domū redire vacuus cogitauit. Vidit hoc mater quædam familiâs, quæ miſerta illius, de curſu reuocauit, & panem impertiuit. Exemplum id eſſe iudicauit diuinæ prouidentiæ, quæ non ſinat deeſſe panem Scholaſticis, qui doctrinæ piæ & ſalutari ſtudium ſuum dare conſtituerunt. Inde Erfurdiam commigrauit, & Magiſterij gradum adeptus eſt, anno Chriſti 1503. ætatis verò 20. Poſtea Iuriſprudentiæ operam quidem dedit, ſed ab eius ſtudio fulmine deterritus eſt. Eo enim ita perculſus fuit, vt abiectis ciuilibus curis, totum ſeſe Dei cultui tradere conſtitueri t. Itaq; ætatis ſuæ anno 22. monaſterium Auguſtinianorum, quod eſt Erfurdiæ, ingreſſus, voto monachatus ſeſe obſtrinxit, & anno Chriſti 1507. celebratâ miſſa prima, Sacerdotij ſui, ſiue Monachatus initia fecit.

fecit. Nota est autem adhuc Erfurdiæ querela Martini Lutheri, quam habuit de fratrum suorum in se iniquo odio, inde orto, quod inuento quodam Bibliorum exemplari, quiescere non vellet, nisi totum perlegisset. Id ergo molestè ferentes Monachi, laboribus domesticis, quoad eius fieri potuit, à Bibliorum lectione illum abstrahere conati sunt. Fatetur autem ipse Lutherus, curæ sibi istam professionem magnæ fuisse, nec operas monasticas vnquam alio animo, quàm pio & religioso obijsse, Missasq́; zelo magno celebrasse.

Anno Christi 1508. vocatus VVitebergam cœpit publicè docere, initio Aristotelis Logicen & Physicen prælegens. Anno verò 1510. Romam missus est à Conuentu, propter Monachorum controuersias, vbi Papam Leonem & detestandum Missæ abusum conspicatus est. Anno 1512. Theologiæ Doctor, Principe Saxoniæ, Friderico, Sacri Romani Imperij Electore, D. Staupitio, & toto Conuentu ita poscente, renunciatus est VVitebergæ, à D. Andrea Carolstadio in templo arcis, in die Luciæ. Mox sequente

anno, qui erat ætatis ipsius trigesimus, Scripturæ sanctæ libros interpretari cœpit, & primùm omnium Psalmos enarrauit, deinde Epistolam ad Romanos, & ad Galatas, item Decalogi præcepta & Catechismum. Si quis autem quærat, cur tanta cum admiratione & applausu D. Lutheri doctrinam docti pariter & indocti sint amplexi? expedita est & vera responsio: Repudiatis & sepositis hominum siue Scholasticorum commentis, Biblia secutus est, & ex ijs vera & solida salutis siue doctrinæ Christianæ fundamenta petiuit: obsecutus Christi præcepto: Scrutamini scripturas. Duce igitur Spiritu sancto, magistra verò scriptura, comite precatione eò processit, vt lucem à tenebris, diuina ab humanis, vel, vt sic dicam, grana à paleis separare posset. Ad summam, ne agam pluribus, primus extitit ex tam longo consertoq; Monachorum & sacerdotũ agmine, qui ex fumo scolastico fulgorem Theologicum, & verè Christianum redderet.

Anno Christi 1517. in vigilia omnium sanctorum propositiones contra indulgentias, siue condonationes, à Leone X. promulgatas,

gatas,

gatas, à Tecelio autem Monacho in Germania prædicatas, foribus templi publicè affixit. Literis insuper ad Pontificem, & Albertum Archiepiscopum Moguntinum datis orauit, vt quoniam Ecclesiæ gubernationi præfecti essent, operam darent, vt homines per Euangelij doctrinam ad fidem in Christum adducerentur potiùs, quàm per indulgentiarum prædicationem ab eo alienarentur. Hoc contra indulgentias scriptum fuit initium & quasi fundamentum, & tuba prima salutis, i.e. emendationis veræ doctrinæ in Ecclesia. Per id enim à Pontifice ad Christum nos deduxit, & quod pretio antè oportuit à Pontifice emere, id gratis à Christo credentibus offerri atq; donari ostendit.

Anno 1518. Augustam ad comitia Imperij accersitus à Caietano Cardinali, vt reuocaret errores suos, summè solicitatus, erroris nullius se conscium sibi esse respondit, nisi conuinceretur. Dehinc scripta multa edidit.

Anno 1519. Lipsiæ disputauit cum Eccio de autoritate Romani Pontificis, de indulgentijs & pœnitentia.

Anno 1520. á Leone X. edita Bulla excommunicatus est. Ipse verò à Pontifice ad concilium prouocauit, et Papam primùm nominauit Antichristum. Tum ius Canonicum vná cum Bulla pontificia exussit.

Anno 1521. VVormatiam venit ad comitia imperij, vbi coram Cæsare, cunctisquè proceribus caussam suã egit, suum illud summa constantia tenens, ne quid concederet, nisi scripturæ conuictus testimonijs. Inde dimissus edicto Cæsaris proscripus est. Iccirco Fridericus Saxoniæ dux, Imperijq́; Elector, ex itinere eum curauit abducendum in arcem VVardpurgum prope Isenacum, quam pathmũ siue Eremum suam nominauit: vt ibi delitesceret, ne qua aduersariorum inuidia ipsi noceret. Interea VVitebergæ Carolstadius iconomachiam suscepit, multaq́; nouare, vel turbare potiùs instituit. Quæ res Lutherum mouit, vt ex pathmo VVitebergam, multorum opinione citiùs ad sedandum turbas accurreret.

Anno 1524. cucullum monasticum deposuit, sequente verò, Missam latinam abrogauit, ordinationem ministrorum Euangelij in Eccle-

in Ecclesiam reformatam inuexit, & uxorem duxit, vt omni ex parte declararet, se ab impio Papæ edicto, quod coniugium Sacerdotum damnat, perfugere ad diuinum mandatum, quod ad coniugium omnes homines hortatur, qui ad cœlibatum non sunt idonei.

Anno 1530. dum Augustæ Carolo V. exhibita est confessio, quæ vocatur Augustana, Lutherus in eremo fuit, hoc est, in arce Copurgensi. Hæc fuit ἐπίτασις susceptæ à Luthero reformationis, in qua Euangelij veritas tanquam clarissima lux ex diuturnis tenebris eruta, in medio penè orbis Christiani, celeberrimo Imperij conuentu, inspectante Romano Imperatore, Pontificijs legatis, Cardinalibus, Principibus, & omnibus ordinibus effulsit: vt iam ignorantiæ excusationi nullus sit relictus locus. Anno 1537. in conuentu Theologorum Augustanæ confessionis, Smalcaldiæ articulos proposuit, concilio, quod Mantuæ erat indictum, exhibendos.

Incidit ibi in morbum grauem & periculosum ex calculo: cuius curatio cùm indies

difficilior fieret, placuit principibus & Theologis Augustanæ confessionis, ut domum deportaretur, ne in conuentu, præsentib. Pontificijs legatis, qui eodem missi erant, moreretur. Est igitur Smalcaldia delatus Tambachium, saltus Thuringici pagum, ubi hospes anxia et solicita interrogauit eum, nũ quid cibi aut potus sumere vellet? Respondit Lutherus, ita volo. Læta hospes quæsiuit, quo cibi genere potissimum delectaretur: halece inquit Lutherus, & pisorum pulmento. Mox apparatum cibum apposuit hospes, & rubrum addidit vinum. His sumptis respirare ex morbo Lutherus cœpit, aperta scilicet obstructione vesicæ, ex qua tantoperè in diem usq; undecimum laborauerat. Hinc lætitia exultans gratias Deo egit, & in diuersorij pariete scripsit: Tambachium est mea Phanuel: quia ibi apparuit mihi Dominus. Exijt ea nocte vrina tam copiosè, vt aliquot cantharos impleuerit.

Non Stoicus fuit, sed verè humanus erga omnes, piè rectèq; sentientes: aduersus fanaticos verò, pertinaces & Sophistas, durus & acer.

& acer. Quanquam autem moderationem in eo multi sapientes & eruditi desiderârunt: tamen res causaq; quam egit, vehementiam aliquam postulauit. Nam vt in medicatione morbis grauioribus remedia valentiora adhibere necesse est: ita in hac Ecclesiæ reformatione non absq; acriori stylo refutari & prosterni tam dira Ecclesiæ Romanæ fulmina, totq; virulenta aduersariorum scripta potuerunt. Extat Epistola amici cuiusdam ad Philippum Melanchthonem scripta, qua petitum est, vt is ab acerbitate styli dehortaretur Lutherum. Sed respondit Philippus: Absit à me, vt talem huius viri spiritum mea voce vel infringam vel diminuam. Quo diuinitus regi atq; impelli Lutherum ad tanti negocij gestionem heroico quodam animo siue spiritu satis indicauit.

Si quisquam est, qui immoderationem laudis, vel, vt Poëta ait κόμπους τοῦ λόγου odit, ego sum: attamen hoc nihil dubitans confirmo, heroica fuisse et diuina planè Lutheri dona. Quomodo .n. opus tantum reformationis doctrinæ in Ecclesia tam arduum

plenumq́ laborum, certaminum, & periculorum suscipere, tantoq́ successu perficere potuisset, nisi diuino afflatu incensus, & heroico animi impetu impulsus fuisset? Aduersa habuit omnia, fulminantem Papam, proscribentem Cæsarem, frementes Cardinales, horrenda minantes principes, insectantes Episcopos, Criminantes Monachos, ac totum agmen Pontificium. Tot tantasq́ aduersationes animo forti contemnere, & nullo metu frangi, & à proposito honesto deterreri, an non animi robusti magneq́ constantiæ esse ducemus? Nihil dico de laborum magnitudine, quam tanti momenti negotium desiderauit, à quibus inuictum sese omninò præstitit. Superat eius virtus & industria omnem omnium Episcoporum & doctorum, quos vllo tempore inde vsq; à S. Paulo habuit Ecclesia, vim & præstantiam. Accesserunt ad hæc summa ornamenta & dona, virtutes aliæ, communes illæ quidem cum pijs multis, sed eximiæ tamen & prædicandæ: temperantia, castitas coniugalis, & despicientia rerum externarum, hoc est, diuitiarum, honorum, voluptatum.

ptatum. In scriptis eius elucent hæc ornamenta: Primùm δεινότης ἐν τοῖς λόγοις, eloquentia. Fuit enim verè ἀνὴρ λόγιος, eloquens.

2. Dilucida & perspicua pro re nata breuitas.

3. Copia & grauitas & splendor tantus, vt artifex Germanici sermonis iure omni habeatur.

4. Feruor quidam spiritus, qui efficit, vt ardens ad lectorem penetret eius oratio.

5. Δύναμις ἐν ταῖς γραφαῖς, potentia in scripturis, vel insignis scripturæ peritia: Nam ex scriptura omnis eius oratio tanquam ex sacro, vnico, cœlestiq́ue fonte profluit, & vim roburq́ue accipit.

Anno 1546. mortuus est Islebiæ in patria, quò vocatus erat ad componendum controuersiæ certamen inter Mansfeldiacos comites. Exijt autem è vita non alia mente & pietate, quàm verè Christiana, nec eam constantiam, quam voce & scriptis professus fuit viuus, in mortis agone abiecit, sed fidem in Christum, quem diuino successu docuerat & professus erat, in mortis certa-

mine & extremo spiritu retinuit. Qui secus vel sentit vel dicit, hunc mendacij arguet & confundet in extremo iudicio patefacta veritas. Corpus eius VVitebergæ in templo arcis sepultum est.

SECVNDA NARRATIO DE MARTINO LVTHERO, ex sexto millenario Isagoges historicæ Matthæi Dresseri.



ARTINVS LVTHERus in oppido Cheruscorum Islebia natus, anno 1483. de quo supra in reformatæ religionis historia expositum est. Sunt autem maxime memorabilia in Lutheri historia. Primum familia, neque opibus firma, neque copijs locuples, neque gloria ampla,

pla, sed virtute honesta: vt, quicquid per illũ effecit Dominus, id neq; generis splendori, neq; humanæ potentiæ, sed soli Deo acceptum feratur. Quod ipsemet passim in scriptis suis & factis ipsis declarauit, non hominis neq; principis vllius viribus, sed Dei vnius præsidio sese confidere, nec gratia & authoritate humana Euangeliũ niti debere.

II. Ingenium excellens, acre, & propè diuinum cum animi robore, & magnitudine incredibili coniunctum: quo & verum scripturæ sensum in tantis tenebris perspexit, & reiectis doctissimorum & sapientissimorum hominũ in mundo commentis, sanam doctrinam protulit, & inter tot odia, maledicta, minas, pericula & terrores, damnationis, excommunicationis, exilij & mortis deniq; ipsius defendit.

III. Studia diuinitus gubernata & ad vsum reformandæ Ecclesiæ directa. Etsi enim de patris sui consilio, & sui quadam animi incitatione ad Iurisprudentiam sese contulit: partim tamen tentationibus, partim inclinatione pia ad Theologiæ professionem impulsus & quasi retractus est. Literas qui-

ras quidem & Philosophiam, quæ necessariæ sunt ad omnes disciplinas rectè percipiendas & explicandas instrumenta, Erfurdiæ didicit, & VVitebergæ docuit primùm, deinde verò ad usum verum in Theologia applicauit, ut & docere ordine perspicueq; posset, & in disputando refellere aduersarios sciret.

IV. Professio, in qua præcipuam curam & cogitationem in lectione Bibliorum posuit, & digitum ad fontes Israelis intendit, nihil potàm in votis habens, quàm ut ea semel, postea, ut quàm sæpissimè perlegere posset. Cũ Biblijs coniunxit lectionem Augustini et scholasticorum quoq; commentarios euoluit. Sed re & facto comperit, ex his neq; succum neq; fructum consolationis veræ ullum percipi posse. Itaq; vitam & spiritum omnem in tentationibus ex sancto Dei verbo petendum esse cognouit. Interim verò munera sui ordinis monastici sedulò ac diligenter obiuit, precatus est, missas celebrauit, & VVitebergam vocatus, diligenter fideliterq; docendi partes, sibi commissas, tutatus est.

V. *Ad gradum Doctoris hortatu Staupitij, Augustinianorum prouincialis, mandato verò Friderici Saxoniæ Electoris traductus, potestatem iam & autoritatem publicam sese adeptum esse, arbitratus est, non tam docendi Theologiam, quàm propugnandi pro dogmatibus Ecclesiæ, & refutandi abusus atq; errores in Ecclesiam inuectos. Quamobrem maiore animi impetu in Theologiæ studium incubuit, vt & professioni tantæ satisfaceret, & ne spem Principis Electoris, Staupitij, & aliorum falleret, qui quasi vaticinati sunt, Deum ad rem magnam opera illius vsurum esse.*

VI. *Methodum in docenda Theologia, non scholasticorum more, qui tunc vsitatus erat, sed quæ ad Biblia maximè accommodata esset, adhibuit. Vnde statim spes magna lucidioris doctrinæ eluxit. Inprimis magnam operam dedit, vt Legem & Euangelium rectè discerneret, Christum benè nosset, & singulas partes doctrinæ Christianæ ex veris & solidis fundamentis Biblicis extrueret, ac confirmaret. Quo quidem studio tantum profecit, vt terrori esset Pontificijs*

tificijs

tificijs omnibus, nemoq́; ferè auderet cum eo congredi aut disputare. Neq; id mirum: cum Scholastica Theologia et sententia Lombardi plærisq; Theologis notiores essent quàm sancta Biblia.

VII. Ad arduum opus reformationis Euangelij & Ecclesiæ aggressus est proposito pio, consilioq́; aut cupiditate minimè mala: primum quidem permotus impudentissima impostura & fraude indulgentiarum: quas tamen non iccirco impugnare cœpit, vt damnaret prorsus, sed vt abusus earum nimius comprimeretur. Disputandi saltem causa cum doctis Theses edidit, de ijsq́; iudicia cunctorum exquisiuit: vt si fortè errore quodam ductus esset, ad sanitatem reuocaretur. Hoc velut principio lenissimo prætexere Deus opus reformationis, quod contentione acerrima agendum erat, voluit.

VIII. Postea vehemens magis & pugnax visus fuit, partim ab aduersarijs acerbissimis lacessitus, partim rei magnitudine compulsus, vt acri quadam concitatione inflammaretur. Atq; ad hanc vehementiam, non

tam

tam naturæ vi, quàm diuino impetu quodam raptus esse videtur, vt in epistola quadam à Melanchthone scriptum est ad Ioannem Langium, Theologum Erfurdianum: cum quidem ipse Philippicam lenitatem & moderationem sibi sæpius optarit.

IX. Turbulentè & seditiosè nihil egit, sed ad concordiam & pacem omnia consilia sua direxit. Idq́ in Carolostadio primùm probauit, cuius tumultum VViteebergæ suscitatum vehementer improbauit. Deinde in rusticis furiosis eorumq́ concionatoribus, quos ad obedientiam magistratui debitam hortatus est: tum in bello Germanico ob religionem suscepto, quod dissuasit, & ad mortem vsq suam duxit.

X. Commodi & emolumenti proprij rationem nullam habuit, neq munera, voluntates & plausus hominum captauit, sed stipendio & sorte tenui contentus fuit. Quin cum à Principe Electore vestis aliquando donata ei esset, inuitus accepit, & datis literis eum orauit, ne in posterum quicquam largiretur, nisi rogatus.

XI. Con-


XI. *Constantia fuit tanta, vt quæ recta, verboq́ꝫ Dei fundata esse sciret, ad extremum vsqꝫ tueretur, & fuso etiam sanguine suo firmare gestiret. Quod vniuersa eius vita & singulæ actiones demonstrant: tametsi aliqua primis annis scripta, in posterioribus magis iam eruditus & confirmatus Dei verbo vel emendauit, vel mitigauit, vel perpoliuit. Id quod Augustino etiam & alijs sanctis patribus vsu venisse partim ipsi scripserunt, partim scripta eorum testantur. Quare ex sequentibus iudicium fieri de antecedentibus haud difficulter potest.*

Tandem placidè in complexu Martini & Pauli filiorum, propinquorum & piorum complurium expirauit in patria: anno 1546. die Febr. 18. ætatis 63.



Narra-

NARRATIO BREVIS DE PROFECTIONE MARTINI LVTHERI IN VRBEM ROMAM.



NNO Christi 1510. missus est Martinus Lutherus ab ordinis sui Augustiniani Cœnobiarcha, & fratribus, cum quodā itineris socio monacho Romam, ut veniam comedendi carnem in summa infirmitate fratribus à Pontifice Romano consequeretur. Ad eamq; rem dati sunt ei decem aurei, quibus tanquam honorario munere suffraganeum aliquem deliniret. Priusquam verò in Apennini tramites venisset, in fratres incidit, qui in die Veneris carnes comederunt. Hos igitur benignè amanterq; Pontificiæ constitutionis atq; edicti de vitando carnis vsu admonuit. Pontificis enim autoritatem sanctè coluit, plurimiq; fecit. Monachi verò

non parum conterriti hac admonitione Lutheri, ab eo periculum sibi metuerunt, ne patefacta re in apertam indignationem incurrerent. Statim igitur deliberatione habita, de medio tollere Lutherum decreuerunt.

Accidit autem diuinitus, vt de hoc cruento monachorum consilio certior fieret Lutherus à sanctore. Facultatem igitur elabendi, quacunque dabatur, arripuit, & Patauium peruenit, vbi acerbissimum capitis dolorem sensit: qui tamen suppeditatis ab hospite malis punicis sedatus est. Inde Bononiam ire perrexit, eoque cum ventum est, tinnitum aurium, capitisque grauedinem tantam passus est, vt actum de vita sua penitus existimaret. In hac autem acerbitate doloris, tentationumque fluctu recordatus est dulcissimi dicti prophetæ Abacuc, quod Rom. 1. allegat Paulus: Iustus ex fide sua viuet. Etsi autem tunc patrum lectione magis quàm sacrorum librorum, aut Pauli delectatus est: Mirificè tamen illo dulcissimo elogio recreatus est, nec id ex animo suo excidere vnquam passus. Domum igitur reuersus

uersus, rem omnem, quomodo acta esset, domino Staupitio visitatori exposuit, qui incensus & ipse fuit amore lectionis Paulinæ, itaq; autor fuit Luthero, ut aduersus tentationum talium vim & impetum deinceps sese magis muniret, et Epistolæ Pauli ad Romanos explicationem susciperet. Ad etiamq; commentationem biennium ei concessit. Paruit Lutherus huic saluberrimo consilio Staupitij, & triennij spacio opus absoluit. quod, quemadmodum spero, non ita multo pòst à Theologo Lutherano cum Lutheranis omnibus, & alijs, qui non respuerint, bona fide communicabitur.



De vita & morte D. PAVLI LVTHERI MEDICI.

Oratio

MATTHAEI DRESSERI,

Filijs, hæredibusq́ eius dicata,

Mense Martio, anni XCIII.



Voties Paulum Lutherum, patrem veſtrum vel præſentem intuebar, vel de abſente cum animo meo cogitabam: non tam corporis, quàm animi quandam imaginem aui veſtri Martini Lutheri videre mihi videbar. Talem enim cogitatione mihi fingebam fuiſſe Martinum Lutherum, cùm diuino Spiritu impulſus Eccleſiam ex dominatu Pontificis Romani in libertatem veram vindicauit, qualem cernebam patrem veſtrum vultu & grauitate in cauſis religionis verſari. Quò igitur viuo illo lætatus

lætatus sum impensiùs, eò nunc mortuo angor vehementiùs: in his præsertim communibus miserijs, quibus tanquam fluctibus alluimur. Sed ita fert hæc mortalis conditio, qua nascimur, & viuimus,& ita exigit dignitas alterius vitæ,quæ hanc caducã excipit, vt acta iam decursaq; ætate,quam cuiq; dominus vitæ asignauit,per mortem ad æternum in cœlis gaudium aditus nobis patefiat. Id quod patri vestro,magno in primis viro etiam contigit. Qui postquam curriculum quinquaginta nouem annorum in terris confecerat, sexagesimo tandem ætatis requiem ex curis angoribusq́, quos secum fert hæc vita, consecutus in cœtum beatorum migrauit.

Cum autem de hac migratione iudicium ex anteacta vita non immeritò fiat,& cum eo benè actum esse existimetur, qui vera pietate Deum in his terris coluit,& fructum ingenij virtutisq; suæ in proximum quenq; contulit: credo vobis etiam, ad quos hæreditas paternæ virtutis & laudis pertinet,iucundam fore factorum eius præclarorum, & ad imitandum expositorum commemorationem. Quò enim altiore dignitatis gradu

collocatus fuit, ampliusq́ de patria & republica meritus est, eò dulcior est eius recordatio, & maiori consolatione permulcere orbitatem vestram poterit.

Fuit autem Paulus Lutherus non vnus de multis: quippe in quo nihil vulgare, abiectum, aut humile deprehendi potuit, sed egregia, eximia, & præstantia ferè extiterunt omnia. A patre inprimis indolem ingenij & virtutis magnam accepit. Etsi enim non vlla lege naturali virtus ex parentibus in sobolem propagatur: singulari tamen munere Dei magnitudo paterni animi ad Paulum Lutherum translata, vel certè communicata cum eo fuit. Vt ergo in Martino patre robur quoddam animi incredibile & inuictum extitit: sic in Paulo filio grauitas & constantia admirabilis eluxit. Ac Martini quidem patris motus heroicos fuisse, nemo qui historiam eius nouit negare potest. Qui cùm iam fundamenta emendationis Ecclesiæ iecisset, & voce literisq́ doctrinam suam in conuentu Imperij frequentissimo contra fulmina Pontificis, & tela vndique in se intenta defendisset: etiam ad restituendum coniugium inexpiabili fraude pontificis

Romani

Romani ſacerdotibus ereptum, animum appulit. Duxerant iam vxores, Bartholomæus Bernardus præpoſitus Kembergenſis, & poſt eum paſtor Hirsfeldenſis, reformatæ Eccleſiæ miniſtri. Horum ergo veſtigia perſecuturus Lutherus, hoc pium & verbo diuino omni ex parte cõgruens vitæ genus & ipſe ingreſſus eſt. Et vt toti terrarum orbi planum faceret, vota monaſtica non plus valere, quàm ſanctum Dei verbum: virginem ſacerdotem Catharinam à Bora in matrimonium duxit. Ita enim decuit virum heroicum, & ad omnia ſumma natum, non, quid Pontifici Romano placeat, quærere, ſed quid Deus poſtulet, attendere atque exequi. Quare ab initio ſtatim reformationis magna documenta dedit, quàm contemneret pontificia commenta, omnibusque rebus oſtendit, ſe non iudicium, non gratiam, non plauſum hominum ſpectare, ſed ſolius verbi diuini ductum autoritatemque ſequi.

Iraſcebatur quidem Romanus Pontifex, tremebant Epiſcopi & monachi, concipiebant flammas indignationis plerique omnes docti: ſed deſpiciebat Lutherus, & pro nihilo putabat hæc fulmi-

na excommunicationum & comminationum, tanquam inania terriculamenta. Et vbi verbum erat Dei, quod sequeretur, ibi non curabat edicta, quæ promulgant homines. Probè etiam didicerat illud ex Cicerone, nulla remedia tam facere dolorem, quàm quæ sint salutaria. Itaque cùm ferre opem & salutem afflictæ & miserè commentis hominum oppressæ Ecclesiæ deberet: ea remedia adhibuit, quæ acria nimis plerisq; omnibus videbantur, qui ciuilius agendam rem tantam censebant.

Annus tunc erat ætatis Lutheri quadragesimus secundus, Christi verò millesimus quingentesimus vicesimus quintus: quo ipso tempestas formidolosissimi temporis oblata est, rusticis passim compluribus Imperij locis seditiosè & tumultuosè ante oculos volitantibus. Quæ res cùm timorem magnum bonis omnibus inijceret, magis exulceratos aduersariorum animos ad obtrectandũ Luthero exacuit: quasi is esset, qui ex cõmunibus miserijs non solum communem dolorem non caperet, sed omnibus lætitijs etiam incederet. Sed ita oportuit virum magnum in aduersis etiam grauẽ

constan-

constantemque repetiri, vt & congruentia doctrinæ religionis, cuius emendationem susceperat, faceret, & aduersarios maleuolentia, atque inuidia furentes eluderet. Quanquam ipsi quidem Luthero multa alia in mentem venerunt, quæ eum impulerunt, vt more aliorum hominum sobolem susciperet, & quo ad eius facere posset, Deo cultores, patriæ ciues nominisque sui hæredes ac propagatores educare cuperet.

Nati sunt ex hoc illius coniugio cum alij liberi, Ioannes & Martinus, Magdalena item, & Margarita filiæ, tum Paulus iste patri multis rebus, in primis verò animi magnitudine similis, anno scilicet à nato Christo 1533. die Ianuarij vicesimo octauo: quo vix compressus erat furor Turcicus, qui sese non in Vngariam solùm, sed etiam in Germaniam effuderat, & horribiles minas flammarum, ferri & vastitatis ingentis iactarat. Meminerunt nonnulli superstites, qui me paululum ætate antecedunt, quantus tunc fuerit ardor mentis Martini Lutheri, quàm incitatum studium ad propulsandum tantum tyrannum ab aditu Germaniæ, atque adeò ab aris & focis patriæ. Nec dubium est,

eius precibus repressum esse Turcorum impetum, & ex finibus nostris eiectum tyrannum. Sic enim animum induxerat, idq; exploratum etiam quasi diuino quodam oraculo confirmatus habebat, se molem omnis belli grauioris ab Ecclesia & patria precatione sua, quoad viueret, propulsaturum esse. Etsi igitur Cæsar Carolus V. & frater eius rex Ferdinandus exercitum numerosum ex Germanis, Italis, & compluribus alijs nationibus comparatum in agrum Viennensem contra Turcam adduxerunt: tamen noluit Deus alijs armis, quàm piorum precibus illum à nobis arceri. Quanquam etiam non parùm conterritus est tyrannus nomine Imperatoris Caroli, quē diuina autoritate & felicitate armatum sciebat.

Ac si qui sunt, qui plus à me tribui Luthero fortè putant, quàm homini fas est: hi meminerint, heroicos motus, quales arserunt in Luthero, longè supra vulgarem captum collocandos esse. Non igitur id, quod sibi denegatum esse intelligunt, etiā huic heroi defuisse arbitrentur. Quo in genere mirabiliter peccant hoc tempore, qui Lutheri vel scripta vel facta ita aspiciunt, vt ad suum iudicium,

suamq;

ſuamq́ꝫ intelligentiam accommodent,vel quod deteſtabilius eſt, corrigere illius acta non vereantur. Quod perinde mihi habendum eſſe videtur, ac ſi pueri ſenum dicta emendare,aut grandes eorũ calceos induere velint. Quod vt planius intelligatur,ignorandum non eſt vnum fuiſſe Lutherũ,non plures,nec eſſe hodie cõparandos cum vno Luthero omnes,qui ſe illi vel æquare,vel anteferre volũt. Hoc quicunque faciunt,inſcitiam ſuam duntaxat produnt, & apud imperitos fortę plauſum inueniunt,à pijs verò, & cordatis irridentur eorum ineptiæ.

Suſtinuerat iam Lutherus hoſtiũm in ſe complures impetus, & quidem acerrimos. VVormatiæ primùm in conuentu imperiali vnus infinitæ multitudini, honore,potentia,& opibus munitæ reſtitit, & verbum Dei plus valere, quàm validiſſimas inferorum portas re & facto demonſtrauit. Poſtea anno viceſimo quinto ruſticorum tumultus voce & calamo repreſsit & confutauit. Anno verò viceſimo nono & trigeſimo ſecundo Turcũ Viennam obſidentẽ,ac minis terroreq́ꝫ immani erectũ,paſsim in aditu Germaniæ vagantem, precibus ſuis foras proiecit.

Epitaſis

Epitaſis verò & omnium acerrima conflictio eius extitit in conuentu Auguſtano, qui in annum trigeſimum incidit. Ibi enim non de parte aliqua religionis, ſed de tota eius dignitate atque ſalute agebatur. Ibi demum precibus, vigilijs, neruis, & artubus opus fuit. Omnem enim vim omnemque conatum intentabant aduerſarij, nec quieſcendum ſibi eſſe arbitrabantur, niſi Lutherum & doctrinam eius omnem euertiſſent. Immò ſanguine Germaniam repleri malebant, quàm Lutheri nomen aut doctrinam amplius ferre. Quid Lutherus? ſolius Chriſti, cuius cauſam agebat, ope nititur, cum eo dies ac noctes colloquitur, diſceptat, contendit tanto ardore, tantaq́ue vehementia Spiritus, vt qui vidit, is luctam patriarchæ Iacobi cum Deo ſe vidiſſe confirmet. Has contentiones conſiderent hi, qui ex ſuo ingenio iudicare Lutherum volunt, vel corrigere eius dicta & inſtituta audent. Reperient ſanè, ſe tantò eſſe inferiores hoc heroë, vt ſi viueret, neq́ue aciem oculorum eius ferre, neq́ue ardorem animi ſuſtinere poſſent.

Poſt tot & tanta certamina Lutheri natus Paulus à primis annis dedit docu-

menta

menta ingenij acris, animiq́ꝫ constantis et grauis. Vnde qualis quantusq́ꝫ futurus esset, diuinare heroicus pater poterat. Nec difficile erat, cum ad naturam bonā educatio conformatioq́ꝫ doctrinæ accederet, præclarum illum, & eximium euadere. Habebat enim domi patrem admirabili vi ingenij, doctrinæ, pietatis, magnanimitatis, & constantiæ antecellentem, quem suspiciebant præsentes, admirabantur absentes, cuius neqꝫ dictum, neque factum vllum poterat esse obscurū. Eum igitur quotidie intuebatur Paulus, in eo defixus erat, eum obseruabat, & partim in schola, partim in domestica disciplina ad verum Dei cultum, ad modestiam, & ad literarum doctrinam instruebatur. Ex schola in academiam, cuius pater caput & professor primarius erat, traductus literas latinas & græcas non quidem ex lacunis, hoc est, ex putidis, nouis, aut vulgaribus authoribus, sed ex viuis fontibus, id est, ex philosophorum, oratorum, poëtarum, & historicorum probatorum scriptis optimisq́ꝫ eorum interpretibus, Philippo Melanchthone, Vito VVinsemio, & alijs didicit. Efflorescebant enim tunc literæ, & eloquentiæ studia.

dia, tanquam ex barbarie renata, caputẽ efferebant. Enarrabantur igitur in VVittenbergensi Academia optimi quiq; authores latini & græci, indeq; in gratiam cum Musis redire Germani incipiebant. Explicabatur doctrina artium omnium tanta diligentia, luce, & vtilitate, vt Athenæ ipsæ ex Græcia in Saxoniam migrasse, ibique sedem dignitatis & fortunarum suarum collocasse viderentur: In tanta igitur copia literarum & artium, iucundum fuit Paulo Luthero professores optimos audire, ex quorum scholis etiam doctior quotidie euasit. Nam sermonis latini & græci facultatem magnam sibi comparauit, & in artium scientia tantũ consecutus est, vt ad superiorem aliquam disciplinam capessendam satis instructus esse videretur.

O felix seculum, quod tunc fuit, & felices etiam homines, quibus contigit in VVitebergensi Ecclesia & Academia videre atq; audire duo illa lumina Ecclesiæ & scholarum, Martinum Lutherum, et Philippum Melanchthonem, à quibus totus orbis Christianus collustratus est, quorumque fontibus omnes hortuli, quos habemus reliquos, irrigati sunt.

Constat

Constat coniunctissimos fuisse eos viros officijs, vsu, consuetudine, tum consiliorũ etiam & studiorum societate, vnaq; mente, & consentientibus animis verbũ Dei, ac literarum doctrinam ex tenebris eruisse, & contra innumerabiles sophistas, barbaros, & virulentos hostes defendisse. Factum est vtiq; admirabili benignitate Dei, vt hoc nobilissimum par amicorum in emendatione Ecclesiæ & scholarum coniungeretur, & alter alterum mutuis operis subleuaret, firmioribusq; animis res tota perageretur. Valeant ergo, qui dissidia inter eos fuisse volũt, & Melanchthonem in quibusdã doctrinæ partibus non paruis à Luthero discessisse, aut dissensisse contendunt. Quos enim diuinitus coniunctos fuisse scimus, eos diuellere opinionum & sententiarum dissimilitudine impium est. Sed quid non tentat audacia & temeritas? Auditæ sunt nuper admodum voces quorundam Lutheromastigum, quibus inconstantiæ arguebatur ipse etiam Lutherus, quasi sententiam de Cœna sancta voluisset immutare, & ad commenta aduersariorum inflectere, si vita contigisset. Quod si de Luthero, quo vix sol quicquã vidit constantius, non puduit aduersarios comminisci, quid de

Melanchthone fingi non poteſt? Quem ſi fortè aliqui à vera ſententia abſtraxerunt, ipſi viderint, quomodo hoc ſuum factum excuſent. Ego ſummam laudem in eo pono, quòd vterque doctrinam ſuam tot annos, & tot auditoribus ac nationibus traditam ex veris fontibus hauſerint, nec ab ea ſententia, quam alijs inculcarunt, ipſi vllo tempore ætatis ſuæ receſſerint. Sic enim confirmabat Paulus Lutherus, teſtis locupletiſsimus, ſe paulò ante mortem Philippi, familiariter cum eò collocutum, hæc verba ex ore illius audiſſe.: Non profiteor aliam doctrinam, quàm Lutherus tradidit, nec de ſententia hac diſcedam, quoad vita ſuppetet. Naturæ tamen diſcrimen magnum in his fuiſſe, nemo ignorat. In Luthero enim animi excelſi & inuicti magnitudo, & robur exiſtebat: Melanchthon verò magis timido, demiſſo, & fracto animo erat. Iam vtrum laudabilius ſit, conſtantiam in doctrina tantis doctoribus tribuere, an mutabilitatem mentis, in religione præſertim, facile reperient, qui modò ſine amore, & ſine cupiditate, ſineq́ odio iudicare volent.

In talium ergo doctorum ſchola, &

dome-

domestica etiam disciplina eruditus Paulus, scientia & exemplis præclarè auctus est. Ac in literis quidem & Philosophia eò iam processerat, vt ad certũ genus ætatis degendæ, & ad disciplinam superiorem aliquam sese applicare posset. Inerat autem in eo ad virtutem & ad doctrinam de natura rerum, morborumq́ remedijs maior quædam indoles, quæ maturè emersit, & spem parentibus summã attulit. At dum in hoc cursu animi & industriæ est: ecce ad vitæ exitum pater heroicus vocatur, obituque eius currus & auriga Israëlis occidit, quemadmodum Melanchthon publicè de eo pronunciauit. Accersitus erat à Mansfeldiæ comitibus Islebiam, controuersiarum quarundam causa. Quò cum venisset, ex sententiaque susceptum negocium confici cœpisset: in morbum incidit, ex quo non cõualuit. Affuit ei tunc Paulus filius, & nõ solum periculi paterni, quod in transeundo Sala flumine obtigit, socius fuit, sed etiam in morbo operam bonam fidelemque patri nauauit. Nec solum dicta eius, sed etiam vota & preces ardentes, quibus Ecclesiam & se Christo omnis salutis authori commendauit, sedulò au-

diuit, & extremum illius ſpiritum, excepit.

Ingreſſus erat tunc annum ætatis decimum tertium, quo, licet propter imbecillitatem conſilij, nondum ſatis de genere curſuq́ue viuendi certo iudicare poſſet: id tamen inſtitutum tenuit, quo duci ſe à natura ipſa intelligebat, & quod Philippus Melanchthon maximè ſuadebat. In hoc igitur omnes neruos contendit, tantumq́ue paucis annis à morte patris conſecutus eſt, vt teſtimonium eruditionis ſuæ publicum ab Academia VVitenbergenſi, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo ſeptimo impetrarit, & Doctor Medicinæ, Decano Iacobo Milichio, renunciatus ſit. Inde progreſſus in Salana Academia medicinam docere cœpit, ſed incommodo quodam, & neſcio quo diſsidio Theologico permotus, relicta academia, in aulam VVimarienſem receptus, medicinam Saxoniæ principibus fecit. Quam enim à patre acceperat libertatem in dicendo, eam tunc etiam vſurpabat in Academia, vt ſi quem à norma doctrinæ veræ recedere, vel non recto pede ad veritatem Euangelij incedere videbat, ingenuè eum

nuè eum argueret, nec periculi metu vllo frangeretur. Hoc verè Lutheranum esse duxit, idque ad extremum vsque tenuit, vt quod sentiret, constanter proloqueretur.

In aula communes tempestates & procellas, quæ id temporis quasi fato quodam incidebant, cum principe suo Ioanne Friderico Saxoniæ duce subijt. Cuius enim valetudini atque saluti in prosperis diligenter seruierat, eum nec in aduersis deserendũ esse putabat. Itaque in obsidione Gothana in mediũ discrimen vitæ capitisque periculum sese cum eo intulit. Verè fatalis erat ille annus ad interitum Germaniæ, nisi Deus admirabili beneficentia rempub. nostrã respexisset. Domi enim in visceribus imperij bellum ciuile flagrabat, foris verò, in Vngariæ regno Turcicus furor in cæde & sanguine Christianorum bacchabatur. Quod malum tamen in vtraque parte sic repressit & mitigauit Deus, vt in Pannonia Solymannus cum minis et barbaro immanique terrore animam impiam exhalaret, ante expugnatum Sigetum. In Turingia verò sequenti statim anno, autoritate imperij, industria electoris Saxoniæ Augusti &

cura Iohannis VVilhelmi Saxoniæ principis, sic omne dissidium sublatum est, incendiumq; restinctum, vt ardor flammæ imperium attingere non posset. In tanto igitur discrimine grauem constantemq; sese præstitit Lutherus, nec temerè tamen quicquam fecit, sed munus officij etiam in quacunq; fortuna tueri honestum atq; necessarium sibi esse existimauit. Solent quidem plures orientem Solem spectare, quàm occidentem, vt Pompeius dixit: sed alienum à bono viro est, propter aduersa ab officij religione declinare.

Quanquam autem bellum, quod exarserat, sine cæde & sanguine sedatum est: tamen mutationem magnam ducatui superioris Saxoniæ attulit. Nam & princeps Saxoniæ Ioannes Guilelmus fratri Ioanni Friderico in gubernatione succeſsit, & altera eius ducatus pars Ioannis Friderici filijs tributa est. Ac Ioannes quidem Guilelmus optimus, maximeq; salutaris princeps, viros doctos in aula, Academia, & Ecclesia, tempestate commutata, colligebat ac fouebat clementiſsimè. Sed Paulus Lutherus à Marchione Ioachimo II. Electore Brande-

burgico

burgico ad corporis & valetudinis curā expetitus, relicta Turingia, in Marchiam commigrauit, operamq́ue dedit sedulò, vt domino suo Electori rationem artis suæ, & constantiam officij probaret. Inciderunt, vt fit, varia, quæ exercuerunt Lutherum, ætas ingrauescens Electoris, quæ tentationes crebras parere, & inualetudinem afferre solet. Datus erat hîc Luthero campus, in quo excurrere & cognosci illius industria posset. Annū enim iam ætatis agebat Elector sexagesimum quartum, quo in grauissimum morbum incidit, & curam etiam grauem & solertem desiderauit. Expromsit igitur Lutherus quicquid ex medicorum præceptis didicerat, quicquid vsu exercitationéque cognorat, & tentatis omnibus, quæ maximè conducere rationibus ægri, quæq́ue necessaria esse arbitratus est, institutæ curationis exitum optatum expediuit. Secuta est plausu magno gratulatio. Princeps ex difficili morbo recreatus est: medico non solum industriæ præmium tributum est, sed graue etiam testimonium impartitum. Is enim iudicatus est Lutherus, cui curatio difficilimorum morborum tutò committi posset. Prin-

ceps verò elector documentum maximum dedit, quanti artem medicam faceret, & artificem ipsum honoribus præmiisque amplis auxit. Nam & insignia duo aurea magni precij donauit illi, cum epigraphe nominis sui & significatione causæ donationis, & pecuniæ insuper summam munificentia tanti principis dignã contribuit. Egregium verò, & voce literisque prædicandum honoratæ artis exemplum, quod ad imitationem etiam expositum esse debet.

Sed venit tandem supremus dies vitæ Ioachimi II. quo demortuo Augustus Saxoniæ Elector Paulum Lutherum præmijs ad se inuitauit. Non inuitus igitur Lutherus ex Marchia in Mysniam ad tanti principis aulam transijt. Erãt enim in Augustum conuersi omnium mentes & oculi in imperio, nec eo sapientior & salutarior dux vllus reperiebatur. Facta est hæc demigratio anno Christi 1571. Ab hoc enim anno continuos annos sedecim operæ & vigiliæ Lutheri Augusto, Semptemuiro deseruierunt. In hoc tanto temporis spacio, Deus bone, quid non vsu experiundoque Lutherus cognouit? Ducem habuit ad summa omnia

nia cum primis magnum, alacrem, & potentem, à quo ipse excitatus atque erectus ad secretissima quæque in arte sua penetrauit.

Latè patet ars medica, nec angustis illis finibus prorsus coërcetur, quibus eam Græci olim circumdederunt. Accessit non ita pridem magna pars, dum Mahometicum regnum viguit, per Spagiricum & Chymicum artificium ab Arabibus & Saracenis magno labore & studio prolatum & in officinas inuectum. Elicit, cogit, & comprimit hoc genus artificij subtilem quandam & spirituale naturam ex simplicibus, in qua naturæ vis & efficacitas magna inest. Hoc nuper admodum magis quàm antè medicos Germaniæ nonnullos ad sui cultum allexit, & in aulas principum, & potentum peruasit. Etsi autem per se solum minus valet ad morbos vel præcauendos, vel depellendos: tamen cum ratione coniunctum pollet multum. Huius vim in casu aliquo quandoq; experti optimates, artē amare, & artifices benigne ac liberaliter tractare soliti sunt. Quod ipsum etiā Augustus Elector fecit, cùm in quodā malo diu secundum artis medicæ canones curatus,

tandem ab alio, qui artificium illud, quod dixi, profitebatur, penitus fuit ſanatus. Ab eo igitur tempore pluris fecit hoc artificij genus Elector: Veruntamen præter rationem adhibendum minimè duxit. Erat enim acutus cenſor artium, & artifices omnis generis colebat. Sed rationes, principia, & cauſas cuiuſq; artificij ſtudiosè diligenterq; exquirebat, & qui reddere aut explicare eas poterant, hos in oculis ferebat.

Commouit eadem res etiam Lutherum, vt plus ſtudij, operæ & ſumptuum, in chymicum artificium impenderet. Eò enim naturæ quodam impetu ferebatur, vt intima artis ſuæ ſcrutaretur, nihilq; prætermitteret, quod vel ad augendam, vel ad ornandam medicinam pertinere videretur. Quare Auguſtus etiam cariorē illum indies habuit, & cum eo, quæ vel ipſe cognouerat, vel à ſummis principibus ac artificibus acceperat, liberaliter communicabat. Lutherus viciſsim cum principe Electore, quæcunq; explorata aut percepta in arte ſua habebat, contulit. Compertum eſt multa præclara, eximia, rara, & ſecreta remedia & experimenta ab hoc ſummo principe,

& ſummo

& summo medico peruestigata, sed in vulgus peruulgata non esse. A Luthero tamen profecta sunt in officinas medicamenta complura, quibus nihil penè vsu vberius est. Cuiusmodi est vnguentum de nitro, magisterium perlarum, corallorum, aurum potabile, medicamentū contra calculum, item extracta plurima ex herbis, Cardui benedicti, scabiosæ, angelicæ, pimpinellæ, & quæ sunt generis eiusdem. Talis autem erat medicus Lutherus, vt neq; rationi sine experientia, neq; experientiæ sine ratione fideret.

Augustus verò Elector rara quadam & singulari felicitate sanare, cum res tulit, mala potuit. Quod non minus illi datur laudi, quàm Eduardo Anglorum regi & posteris eius, qui strumas, siue scrophulas tactu sanarunt. Lutherum certè vel hoc nomine dilexit plurimum, quòd ad artem suam experientiā vsumque rerum magnum adiunxerat. Nec indotatam artem eius reliquit, sed honoribus, & præmijs ornauit. Testimonio esse potest donatum insigne aureum, quod nomen ac faciem Augusti gerit. Testimonio item esse potest donatum prædium, & alia, quæ nominatim recensere nihil

attinet. Hæc autem attigi, vt exemplo honoratæ à tanto principe medicinæ ad amorem, cultumq́ eius alij inflammentur.

Sed præter hanc alia etiam erat causa, quæ Lutherum Augusto gratum iucundumq́ reddebat, ingenuitas, & in dictis factisq́ constantia & grauitas magno viro digna. In quocunque enim hæ virtutes eluxerunt, is in honore & precio apud Augustum fuit. Cum ergo is singularem integritatem & fidem Lutheri multis magnisque rebus cognouisset: maximè etiam sermonibus & moribus eius delectabatur. nihilq́ penè erat, quod non committendum illi putaret. Est omnino decus magnum viri, vera amare, eaque constanter dicere & tueri, in moribus verò omnes insidiosas occultationes & simulationes fugere. Cuiusmodi sanè in Luthero quasi quoddam lumen eluxit, altioremq́ eius animum, nihil abiectum, nihil humile cogitantem declarauit. Insitum est magnis animis atque innatum, vt nulla re magis gaudeant, quàm veritate aperta, nec vllis hominibus libentiùs vtantur, quàm ijs, qui vera et recta, in religione præsertim, sine inuolucris & ambagibus dicunt ac faciunt.

faciunt. Qualem fuisse Constantium Constantini Magni patrem accepimus, qui etiam explorare solitus est aulicorum suorum animos & voluntates non erga se solum, sed etiam erga Deum, nec fidos sibi esse arbitratus est eos, qui in religione se fideles erga Deum non præstarent.

De Augusto quidem Electore hoc sine vlla dubitatione confirmauerim, eum insita quadam, vsuq; longo roborata naturæ vi recta & vera in causis quæsiuisse, nec facilè quieuisse, nisi rationem ex ipsis fontibus eruisset. Apud talem igitur ducem meritò gratiosus fuit Lutherus, cui natura datus erat animus ad recta propensus, & ad vera simpliciter libereq; proferenda procliuis. Fingebat enim & accommodabat se totum ad Euripidis Rhesum, qui in tragœdia ait, se amare veritatem semper, nec esse virum duplicem. Vsurpauit autem veritatis professionem non solum in ciuilibus negocijs, sed etiam in Theologicis rebus & controuersijs, quas tanquam hæreditarium munus à patre acceptum, ita cognitas atque perceptas habebat, vt dissentientes etiam refellere posset. Incide-

runt varia, in quibus expediendis perspicua & diserta explicatione opus fuit. Non enim cessat Satanas dissidiorum semina spargere, certaminaq; suscitare, quibus fides, conscientia, & constantia nostra probetur & augeatur. Ab his nulla vnquam Ecclesia potuit esse tuta. Quò autem maiores contentiones existunt, eò magis libera & ingenua veritatis professio necessaria est. Ac laude inprimis honoreq; decorandi sunt, qui constantiam tantam adhibent, vt neq; honoris aura, neq; periculi tempestate de cursu recto dimoueantur. Etsi enim durum est, negligere iudicia hominum, & offendere voluntates potentum: magis tamen obtemperandū est diuino præcepto, quod profiteri iubet veritatem, siue placeat, siue displiceat hominibus. Sic enim sapiens ait: Esto firmus in doctrina recta, & vnus esto sermo tuus. Item, ne agiteris omni vento, nec quamlibet viam ingrediaris, sicut faciunt homines leues & inconstantes. Quin ad mortem vsque pro veritate pugna, & pugnabit dominus Deus pro te. Odiosum est hominum genus, & quidem inuisum Deo ipsi, qui opiniones suas de religione ad tempora, & potentum

tentum arbitria inflectunt. Quales optimus imperator Constantius ferre olim in aula sua recusauit. Hos ergo oderat ex animo Lutherus, pestesq́ ecclesiæ esse iudicabat. Quid autem est in doctrina religionis, quod non Martini Lutheri cura & diuina industria explicatum, illustratũ & confirmatum sit? Quæ pars, siue doctrinam ipsam spectes, siue ceremonias intuearis, ab eo prætermissa est? Quid vspiam excogitari potest, quod is non ex veris fontibus deduxerit, expresserit, & contra tot hostes & aduersarios defenderit? In hanc cogitationem quoties incidebat Paulus Lutherus, ingemiscebat vehementer ac detestabatur ex animo ambitionem ac temeritatem eorum, qui cornicum oculos configere, vt in prouerbio est, audent, & relicta pura ac sana doctrina atq; hierarchia à Luthero accepta, nouas opiniones & ritus inducere in ecclesiã conantur: quasi non viderit Lutherus in tot certaminibus, controuersijs & tentationib. quod ipsi vident, nullo nec vsu, nec experientia spirituali confirmati. Quod quid est aliud, quàm veritatis thesaurum omnium preciosissimũ prodere, & ab afflicta Ecclesia transfugere, & ad
floren=

florentiorē deuolare?Longius hæc perſequor, quàm inſtituta ratio poſtulat, breuiùs autē, quàm ſi de hac re vna diſputarem. Sed copioſiorem me facit Pauli Lutheri conſtantia in profeſsione vnius & eiuſdem ſententiæ, cùm de tota religione, tum de ſingulis eius partib. Non enim ita corpus totum defendebat, vt membrum ſiue partē aliquā proijceret, nec adduci ſe ſe eò vnquā paſſus eſt, vt vllā in religione colluſionem cùm aduerſarijs, aut ſimulationem, diſsimulationémue probaret.

Et hanc quidem libertatem in iudicando et loquendo approbauit Auguſtus Elector, quoad in hac vita remanſit. Poſtea verò, cùm nouitas à quibuſdàm hominibus quæreretur, Lutherusq́ priſtino ſuo more benè rectèq́ tradita & ad illud vſque tempus ſanctè cuſtodita tueri conaretur, fraude & calumnia oppreſſus decedere de ſtatione coactus eſt: vt illud diſceret, quod maximi momenti eſt, parum eſſe vera dicere, niſi eadem etiam ſufferendo, tolerandoq́ue, quæ res fert, comprobes. Vix enim dimidia pars eſt profeſsionis Euangelicæ, ea, quæ recta eſſe duxeris, proferre liberè, niſi conſtantiam etiam adiungas, vt odia & aduerſa.

aduerſa, quæ ſecum fert veritatis profeſſio, ſubeas & patienter feras. Cœpta erat iam imminui opinio de doctrina Lutheri, & prætexebatur nouitati ſpecioſum nomen Melanchthonis, eoque res perducebatur, vt qui ſcire aliquid videri volebat, Philippicum ſeſe profiteretur, non Lutheranum. Hunc fucum ſtatim deprehendit Lutherus, libereque redarguit atque refellit. Quaſi verò nunc demum Philippica doctrina opponi poſsit, aut debeat Lutheranæ, & is qui Philippum ſequitur, diſcedere à Luthero cogatur. Quæ hæc eſt nouitas? quàm plena inſidiis, fraude, & fallacijs? Horrendus profectò abuſus eſt nominis Philippi ad tegēdam fraudem, quæ contra Eccleſiā hanc concepta erat. Quæ eſt enim fraus aut dolus, ſi hic non eſt, cùm aliud ſimulatur, & aliud agitur? Oſtendebatur quadam ſimulationis ſpecie doctrina Philippi, & id tamen de induſtria agebatur, vt nouæ & inſolentes opiniones & ritus in Eccleſiam & ſcholas importarentur. Hinc rumor non bonus longè lateq́; diſsipatus eſt, & ſuſpecti eſſe nomine defectionis à Lutheri doctrina apud exteros cœpimus, cùm tamen, quod Deus nouit, neq; à do-

ctrina, neq; ab ordine Ecclesiastico, quem Lutherus post se nobis reliquit, discedere in animo habuerimus.

Hæc fucati candoris & ruboris medicamenta Luthero magnum & acerbũ dolorem commouebãt, parumq; aberat, quin exanimarent eum & interimerent voces istæ, quæ iactabantur, non Lutheranum amplius esse appellandum vllum in ecclesia: quia inuisum illis hoc nomen planè factum erat: quo tamen nomine nemo nostrum abutitur, sed cum Lutheri doctrinam nominamus, ipsum Dei verbum à Luthero traditum, & in Augustana confessione comprehensum intelligimus. Adeò autem nouerat Paulus Lutherus Philippum, vt quid senserit aut voluerit ille, non ex alijs discere cogeretur. Ipse enim docentem eum audierat, omnia eius dicta & facta obseruarat, & probè meminerat. Sic ergo iudicabat, ne Philippicæ quidem doctrinæ custodes esse eos, qui noua illa dispergere cœperant: cùm neq; res, neq; verba, neq; phrases Philippi retineant. Quod facile suffragio suo comprobabunt omnes, qui Ecclesiæ Saxonicæ scripta cum exterarum ecclesiarum libris contulerint. Non minùs igi-

nus igitur de Philippica doctrina actum fuiſſet, quàm de Lutheri, ſi res ita, vt cœperat, ire perrexiſſet. Quid ergo miſeris nobis tandem relictum fuiſſet?

Nec tam deteſtabatur tamen doctrinæ veræ mutationem, quàm hypocriſin, qua iſti Lutheranæ doctrinæ hoſtes vtebantur. Tales enim neq; eſſe, neque haberi volebant, quales erant: cum ſat ſcirent, nullam aliam doctrinã eſſe acceptam pleriſque omnibus, qui Saxonicæ Eccleſiæ membra ſeſe profitentur, niſi eam, quam Lutherus ex veris fontibus Iſraëlis hauſit, & perpurgauit. Ad eam igitur ſpecie quadã fucata ſeſe ita conformabant, vt aliud nihil ſe ſentire aut velle dicerent. An non hoc eſt aliud lingua promtum, aliud corde clauſum habere? Quis bonorum eſt, qui fucum talem non odio dignum cenſeat? Officioſa quidem occultatio interdum laudem habet, ſed hæc inſidioſa diſsimulatio Deo & hominibus inuiſa eſt. Itaque crebris ſermonibus vſurpare illud ſolebat Lutherus, philoſophos olim liberè ingenueq; ſectæ ſuæ nomẽ geſsiſſe, & ex eo quemque nominari voluiſſe, quẽ maximè probaſſet: hinc Socraticos ex Socrate, Platonicos ex

Platone, Pythagoreos ex Pythagora, appellatos esse. Et in Ecclesia iam pridem Papistæ vocari cœperunt, qui Papæ ductum sequuntur, Hussitæ vero, qui Hussi doctrinam probant. Lutherani quoque iam multis annis appellati sunt, quocunque doctrinæ à Luthero repurgatæ assentiuntur. Neq; tam est fœdum hoc nomen, vt eius pudere nos deceat, neque adeò impium, vt vitare illud oporteat. Contrà verò impium est Lutheri doctrinam odisse, & liberè tamen contrariam profiteri nolle. Tale crimen ne Ethnici quidē in se admiserunt: sed qualis quisque est, talem se gerere, talemq; videri debere iudicarunt. Exsecranda igitur est talis hypocrisis, et remis velisque, vt in prouerbio est, fugienda. Tanto autem odio Lutheri nominis ardebant hi nouæ & insolentis in his regionibus doctrinæ sectatores, vt Flacianos appellare inciperent omnes, qui Lutheri doctrinam defendere constanter perseuerabant: vt ex appellatione inuidiosa in inuidiam eos ipsos raperent.

Quò autem inconstantia, mutabilitasq; mentis in religione detestabilior est: eò magis prædicanda ac celebranda

est

est Pauli Lutheri firmitas,& in professione veritatis, libertas, qua id, quod benè cognitũ & conceptũ animo habuit, ingenuè semper dixit,& defendit. Testes esse possunt huius constantiæ omnes, quib. modo vsus & consuetudo aliqua cum eo fuit. Cui autem animus ab adolescentia rectus fuit, ei nec ad extremũ fides vera in Christum defuit. Non enim alij ferè sermones vlli ab eo habiti sunt, supremo vitæ tempore, quàm de misericordia Dei tam erga se miserum peccatorem, quam erga totam Ecclesiam, hoc vltimo tempore declaratã, quo erepta ex tenebris, & erroribus doctrina cœlestis purè integreq; traditur, & vsus Sacramentorum integer, & omni ex parte authoris institutioni consentaneus est. In primis tamen præsens beneficium prædicabat, quo diuinitus iterum sanitati & integritati restitutũ est verbũ Dei,& ab impendentib. corruptelis vindicata sunt Sacramenta.

Memini etiam valdè anxium & solicitum illum esse, de ingenti Turcorum furore aduersus Christianos in vicinis regionibus. Cuius quidem furoris documentũ horrendum dederunt nuper, cum in Croatiam infusi spacio quadraginta

miliarium eam populati ſunt, oppida exuſſerunt, propugnaculum eius firmiſsimum occuparunt, agros vaſtarunt, homines partim iugularunt, partim in ſeruitutem abripuerunt. Hæc conſiderans attentiùs, ingemiſcebat grauiter, metuereq́ſ ſe dicebat, ne eadem calamitas non ita multò pòſt nobis etiam in Germania accidat. Cui cùm ego ſententiam Martini Lutheri de duratura monarchia quarta vſque ad finem mundi, ex Danielis vaticinio expreſſam, recitarem, acquieſcecebat quidem nonnihil, ſed diminutionem tamen, & lacerationem ingentem Germanici imperij non obſcurè pertimeſcebat.

Decedens autem ex aula Lipſiam ſibi delegit, in qua ſedem rerum ac fortunarum collocaret. In hac igitur vrbe ab anno vſq́ſ octogeſimo ſeptimo, quod reliquum fuit ætatis contriuit, omnemq́ſ curam & operam in pellendis hominum infirmitatibus & morbis poſuit. Superiori verò anno nonageſimo ſecundo ab illuſtriſsimo Adminiſtratore Electoratus Saxonici, domino Friderico Guilelmo Saxoniæ duce, ad curam tam ipſius celſitatis, quàm principũ pupillorum ſtipendio

dio liberali & honeſto vocatus eſt. Et ſi vita longior fuiſſet, etiam archiater vicini principis magni factus eſſet. Trāſegit autem annos multos in viduitate, cum liberis ſuauiſsimis, quorum ſex ex Anna, quā ex antiqua & nobili familia VVarbeciorum in Sueuia anno quinquageſimo tertio duxerat, ſuſcepit. Ac de filijs quidem vnus maturè vitam hanc deſeruit. Reliqui verò tres, Ioannes Erneſtus, Ioannes Fridericus, Ioannes Ioachimus fratres honeſtiſsimè educati cum patre in domeſtica diſciplina manſerunt vſque ad illud tempus, quo natu maximus Ioannes Erneſtus in Euangelicum collegium canonicorum, quod eſt in Cicenſi diœceſi, cooptatus eſt. Filias verò reliquit duas, quarum altera Margarita Simoni Gotſteig archiepiſcoporum Magdeburgenſium adminiſtro primario nupta fuit, altera verò Anna viro nobili, Nicolao Marſchalch in Oberſchaar in matrimonium collocata eſt.

Etſi autem vitam priuatam & quietam, in hac Repub. ex parte magna egit: tamen ad emendationem Eccleſiæ, quæ ab Adminiſtratore Septemuiratus Saxonici Friderico Guilelmo, & collega

eius Ioanne Georgio, Electore Brandenburgico instituta est, quantum potuit, libenter & studiosè contulit. Nam & monere, quæ ad tantum opus pertinebant, poterat, & sua voce authoritateq; alios excitabat. Scio nihil ei maiori curæ magisq; in optatis fuisse, quàm vt labes mutabilitatis in doctrina religionis aspersa Saxonici Septemuiratus Ecclesijs elueretur, omnisque suspicio defectionis à doctrina Lutheri tolleretur, & ad verum consensum iuxta Augustanam confessionem reduceremur. Id quod etiam optatum tulit. Non enim è vita exijt, priusquā susceptum visitationis opus in exitu iam fuit. Quod cum ad restitutionem doctrinæ Lutheranæ, ad extinctionem verò sententiæ contrariæ pertinere intelligeret: lætabatur, & ex animo gratias Deo agebat. Erat etiā ipsis Visitatoribus ex omni flore nobilitatis Mysnicæ, disciplinæq; theologicæ summo consilio delectis viris, valdè iucunda eius consuetudo, grataq; de necessarijs rebus collatio.

Qanquam autem morbo diuturniore conflictatus est: nullum tamen intolerantiæ signum dedit, sed hac vna re ægritudinem suam solatus est, quod Deum

placatum


placatum ſanguine filij vnigeniti haberet. Hoc ita animum ſuum erexit & confirmauit, vt auidè mortem impendentem expectaret, & cum Chriſto eſſe percuperet: cui etiam coram gratias agere pro repurgata doctrina Eccleſiæ geſtiebat: diſerte multis verbis declarans & proteſtans, ſe toto animo à Caluiniana ſecta diſſentire & abhorrere. Tandem octauo idus Martij anni huius nonageſimi tertij in hac ſententia & confeſsione firmus, ſpiritu ardens, & fiducia in precioſo ſanguine Ieſu Chriſti fixa atq; locata animã exhalauit, & in cœleſtẽ conſuetudinẽ migrauit: vbi cũ Deo, beatis angelis & omnib. electis vita & lætitia ſẽpiterna fruitur.

Hæc ſunt, filij atq; hæredes Pauli Lutheri ſuauiſsimi, quæ de patre veſtro cõmemorari honeſtè & verè potuerunt. Phyſicus primũ fuit non vnus de omnib. ſed eximius, vel potius protophyſicus. Medicus fuit non vulgaris, ſed potentiſsimorum principum archiater. Et in hoc quidẽ munere officij caſtè, integrè, feliciterq; verſatus eſt, ac laborantibus, quoad eius facultas tulit, vſui ac ſaluti fuit. In moribus verò & omni vitæ cultu grauem conſtantemq; ſeſe præſtitit, nihil humile,

nihil abiectum cogitauit, & à leuitate omni studio ac voluntate abhorruit. In primis verò in religionis sententia firmus, fidelis, & stabilis permāsit: quæ vera & recta esse sciuit, ea apertè & ingenuè professus est, nec ab eo cursu spe aut metu vllo deterreri sese passus est. Hæc quò laudabiliora sunt, magisq́ȝ ad imitandum exposita: eò vobis maiori solatio, & honori esse debent. Non tamen ad vos solum hæ laudes patris spectant, qui hæredes nominis auiti & paterni estis: sed imitatio etiam ad nos omnes, qui Lutheri doctrinam & instituta probamus & sequimur, pertinet. Nam vt vos nominis atque virtutis Lutheranæ hæredes estis: sic nos decet doctrinæ Lutheranæ custodes esse fideles & constantes, non correctores: discipulos, non magistros: ne intempestiua & præpostera sapientia aut verbum Dei ipsum, aut natiuam verbi sententiam effundamus, & malum horrendum animæ & corporis, quod vitare possumus, nobis & posteris temerè accersamus.

Rector

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS.



NNOS HABEBAT PAVLVS LVTHERVS *decem & tres, cùm diuinus ipsius parens* MARTINVS LVTHERVS *è vita mortali excessit. Est enim in lucem editus anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo tertio, Ianuarij die vicesimo octauo. Patris verò beata migratio commutatioq́ vitæ in decimum octauum Februarij, anni millesimi quingentesimi quadragesimi sexti incidit. Contriuit autem* PAVLVS *hos pueritiæ annos in domestica disciplina, & patria schola sic, vt spem parentibus magnam summæ eruditionis atq́ virtutis à puero afferret. Elucebat in primis indoles quædam ad virtutem, quæ magnanimitas appellatur, tum ad doctrinam eam, quæ vim naturamq́ rerum explicat, & remedia ad arcendum morbos comparat. Ac signa quidem acris animi magniq́ multa dabat, quibus exstimulari illum ad grauitatis constantiæq́ laudem pater intelligere poterat. Itaq́ eò impensius etiam illum amabat, quò naturæ animiq́ vim maiorem in illo perspiciebat. Ad doctrinam verò de natura, & de reme-*

diorum, quæ corporibus adhibentur, copia, maiori quodam impetu, vel vt Plato de Isocrate dixit, diuiniore animi motu ferebatur. Quocirca parens etiam ingrediendi, persequendiq́; illius studij, quò natura ducebat, si non suasor & impulsor, prebitor certè fuit. His naturæ donis mirificè delectatus pater, in oculis ferebat filium, nec à latere suo discedere patiebatur. Filius cōtra parentis dicta et facta omnia sic obseruabat et amplectebatur, vt ad se pertinere eorū imitationem iudicaret. Contigit ergo illi id, quod maximè optabile est bonis liberis, vt mortis etiam parentis spectator esset. Profectus enim cū eo Islebiam, tanta cura & studio coluit & obseruauit illum, vt in complexu huius filij sanctissimus pater placidissimè expirârit. Vt autem fieri non potest, vt exempla paternæ pietatis atq; magnanimitatis, in liberos infusa, non radices agant & fructum per omnem vitam afferant: sic documenta grauitatis & constantiæ paternæ id in filio effecerunt, vt grauis constansque in religionis sententia vsque ad mortem reperiretur. Etsi enim religionem non, vt pater, docuit & propagauit: tamen vnam semper eandemq́; professus est, nec tueri, etiamsi sibi periculum pro createtur, destitit. Postquam verò in Philosophia et literarū Latinarum atq; græcarum doctrina longè ad medicam artem processerat, testimonium publicum ab Academia VVittenbergensi cōsecutus est, & anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, Decano D. Iacobo Milichio,

Doctor

Doctor Medicinæ renunciatus est. Accesserat iam ad naturam eximiã ratio quædam confirmatioq́ doctrinæ Quocirca præclarũ quiddam ac singulare inde extitit. Est enim vocatus ad curam corporis à summis ducib. et septemuiris imp. Romani: Primùm quidem à Saxoniæ superioris principib. in aula VVimariensi, vbi consilium in prouidendo, industriamq́ in agendo præclaram declarauit. Permansit in hac aula vsq; ad Gothæ vrbis in Turingia deditionem, quamq́ dederat principi Ioanni Friderico fidem, eam nec in ipsa obsidionis difficultatē atq; periculo fefellit. Tolerauit enim forti animo omnes molestias, terrores, impetus, & vehementißimas oppugnationes, quas Martis vis armorumq́ furor parere solet. Redacto verò in deditionē imperij castro, in aulam Brandeburgicam Electoris Ioachimi secundi transijt factus illius protophysicus siue medicus et curator corporis primarius. Quo quidem in officij munere versatus est singulari animi attentione, vigilantia, et diligentia. Tum integritatem in iudicando, libertatemq́ in dicendo magis in dies singulos ostendit. Vocato ad vitæ exitum Ioachimo II. Marchiam reliquit, & Augusto Saxonũ principi Electori operam dedit. Hîc demum omnes profudit vires animi atq; ingenij, datumq́ iam sibi esse putauit campum, in quo excurrere virtus ipsius atq; cognosci posset. Nam ad ingenium moresq́ principis tanti totum sese conformabat Quia ergo acerrimo ingenio erat princeps, ingenij vim & ipse expromebat. Quoniam

ingenuitas

ingenuitatem amabat Elector, ingenuum sese præstare & ipse in dictis & factis studebat. Simulationem oderat dux: hypocrisin igitur omnem fugiebat & ipse, malebatq; adeò apertè vel odisse, quàm frõte sententiam occultare. Artis amator maximus erat Augustus: in arte igitur, quam profitebatur Lutherus, ita sese exercuit, vt omnes eius partes peruestigaret, nec quicquam tam abditum, tamq; reconditum esse putaret, quod assequi solertia, elaborareq; industria non posset. Emergebat tunc magis penè indies spagirica ars, & iam in ipsas etiam principum aulas penetrârat. Persuasum quoque erat nonnullis, vim magnam medendi quibusdam incommodis hominum inesse medicamentis arte ista paratis. Quod vt re vsuq; experiri LVTHERVS *posset, operam enixè dedit. Non enim operæ, non sumptibus parcendum duxit, nec quiescendum sibi esse arbitratus est, priusquam intima perspexisset, &, vt sic dicam, medullam & succum cognouisset. Nec malè profectò studium & operam collocauit. Nam ad rationalem medicinam adiunxit hanc etiam partem, quæ chymica quadam ingeniosè & artificiosè inuenta atq; elaborata complectitur: nihil vt esset ab vlla parte, quod non comprehensum animo probatumq; vsu teneret. Accedebat consuetudo & familiaritas non solùm cum eruditissimis quibusq; medicis, sed cum sapientissimis etiã principibus, quorum prudentia ad maiorem exercitationem in sua arte traductus est. Non igitur mirum*

est,


est, cum non solum artificibus in hac disciplina æquatum esse, sed ipsis etiam principibus carum extitisse: in primis verò Augusto Electori Saxonum, qui vt artem omnem mirificè amauit, sic artifices etiam magnifecit & decorauit. Hinc factum est, vt cùm alijs muneribus, tum prædio etiam amplo Lutherus ab eo donatus sit. Erat præterea in Augusto non solùm amor & cura, sed etiam ardor quidam veræ religionis. Hoc ergo incensus atque impulsus, etiam ministros amabat eos, in quibus liberam ingenuamque religionis Christianæ professionem reperiebat. Hoc in genere maximè eminebat Lutherus, vtpote cui religio nulla placuit, nisi ea, quam ex fontibus Israëlis pater ipsius diuino impulsu, & heroica constantia è tenebris in lucem reuocauit. Hanc enim vt in domestica patris disciplina imbiberat, sic per omnem vitam constanter retinebat. Erat verè παῤῥησιαστὴς, amans libertatis in dicendo, alienus ab adulationis & assentationis crimine. Ac sunt quidem virtutes aliæ in PAVLO LVTHERO multæ & magnæ, sed haud scio an vlla magis in eo sit prædicanda, quàm hæc ipsa παῤῥησία, qua patri similis maximè videbatur. Post Augustum, Duci & Electori Saxon. Christiano operæ eius amplius triennio deseruierunt. Deinde multam salutẽ aulæ dicens in hanc vrbem commigrauit, & inter ciues piè integreque vixit, laborantibus succurrit, & ægris, quotquot potuit, medicinam fecit, vsque ad hoc ipsum tempus, quo in morbum

incidit,

incidit, ex quo conualescere non potuit. Quanquam enim curam diligentem sui ipse habuit, & aliorum medicorum consilio operaq; vsus est: tamen grauius indies laborauit, vt non sine causa ad beatam migrationem, commutationemq; vitæ totum sese præpararet. Itaq; nihil tam in optatis ei erat, quàm vt eò celeriùs molesto corporis onere liberaretur, quò maturius venire in sinum atq; cōplexum filij Dei liberatoris ac fratris dulcißimi cupiebat. Quod tandem optatum tulit, & octauo Idus Martij huius anni, paulò post horam octauam, ab hoc ipso fratre dulcißimo Iesu Christo ex hac turba & colluuione in cœlestem patriam euocatus atq; cooptatus est: relictis tribus filijs de quatuor, quos ex Anna de antiqua & nobili VVorbeciorum familia ducta & ante annos septem in cœlestem consuetudinē præmissa, suscepit, & duabus filiabus quæ honoratis, & nobilibus viris nuptæ in matrimonio collocatæ sunt. Auditæ sunt quoad in lecto decubuit, crebræ eius voces, plenæ spiritu & fide Iesu Christi. Nec piguit eum sæpius repetere ac disertè declarare, qua fide mori & accedere ad Christum vellet; nempe ea, quæ est fixa & locata in vno & solo merito Christi. In doctrina verò de Cœna sancta omni asseueratione confirmauit, se nullam aliam sententiam probare et admittere, quàm eam, quæ ex sancto Dei verbo, per LVTHERVM *patrem declarata & defensa hactenus fuisset. Qui secus sentiant, ab his se animo & profeßione abhorrere asseuerabat. Nostrū est, hoc*

magnanimi

magnanimi viri discessu à nobis affici & quod postremum officium ei debemus, funus illius honorificè ad locum sepulturæ comitari. Quod vt more instituto q; Academiæ nostræ à nobis peragi possit, hortamur omnes iurisdictioni nostræ subiectos, vt hodie hora III. in funeris deductione adsint, & mortuo debitum officium honoremq; tribuant. P.P. Lips. Martij die XI. anno vero XCIII.



ERRATA.

a 5. facie altera versu 7. reijciatur. ibidem v. 15. iudicarent. a.7. versu 3. legi debet: Lacertisq; oratorijs inuehitur in nomen & dogma Sacramentariorum blasphemo ore clamans:

B. 1. f. 1. v. 13. multæ. f. 2. v. 8. huc vsq; B. 5. f. 1. v. 15. seipsum. C. 2. f. 2. v. 12. sunt. C. 3. f. 2. v. 7. conditis. C. 7. f. 2. v. 14. vocatus. D. 6. f. 1. v. 12. tollitur. ibid. v. antep. posse ac velle. D. 7. v. vlt. Badensis. D. 8. f. 2. v. 10. charitatis. E. 3. f. 1. v. 12. quâ. f. 1. v. 9. benigna. E. 8. f. 1. v. 24. refert F. 4. f. v. 3. suscipere. f. 2. v. 8. altera. F. 6. f. 1. v. 24. præguestatû. f. 2. v. 3. eû. F. 7. f. 1. v. 2. &. F. 8. f. 2. v. 6. quadrantem. G. 1. f. 1. v. 23. auxilijs. f. 2. v. 13. corpus. G. 3. v. 3. a tota. G. 6. f. 2. v. 8. Moguntinû. G. 8. f. 2. v. 12. quam. H. 1. f. 1. v. 21. compos. H. 5. f. 1. v. 18. laudibus. H. 6. f. 2. v. pen. splendidior ê. I. 1. f. 2. v. 24. omnino. I. 4. f. 1. v. 22. imitemur. I. 8. f. 1. v. 11. frustra. K. 3. f. 2. v. 22. seuerius L. 6. f. 2. v. 7. 1483. M. 7. f. 1. v. antep. fundamentis.

FINIS.

